OPUS MEDICAE PROGNOSEOS, IN QUO OMNIUM QUAE POSSUNT IN AEGRIS...

Antoine Constantin, Giovanni Battista Coccini




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 L
17


OPVS MEDICÆ PROGNOSEOS,

In quo omnium quæ poſſunt in ægris animaduerti ſymptomatum in omnibus morbis, cauſæ & euentus copioſè & luculenter exponuntur.

Omnia à Galeno, Hollerio, Dureto & Iacotio, fideliſſimis ſummi Hippocratis interpretibus deprompta; & quæ in illis Authoribus erant hac illac ſparſa, ſunt in eo opere optima methodo digeſta.

Labore ANTONII CONSTANTINI, Doctoris Medici.

Cum Indice locupletiſſimo.








LVGDVNI,

Apud CLAVDIVM MORILLON, Typographum Sereniſſ. Duciſſæ Montiſpenſerij.

M. DC. XIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



CAROLO LOTARINGIO,

SERENISS. GVISIÆ Duci, Prouinciæ Proregi dignissimo,

Antonius Constantinus Medicus, S. D.



ABET, Princeps Serenissime, nostra medēdi facultas, quemadmodum Respublica Christiana suos perturbatores: quoniam sicut Hæretici pestiferis dogmatibus vniuersæ Ecclesiæ Christi politiam peruertunt, & animabus exitium afferunt sempiternum: ita Empiricorum secta, & carbonarij Paracelsici, qui sua illuuie meliorem Europæ

Christianæ partem conspurcarunt, non solùm synceritatẽ & perspicuitatẽ nostræ artis, quibusdam barbaris & incognitis vocibus obnubilarunt: verùm etiam saluti hominum fucato venenorum sapore insidiantur. Et, quod calamitosius est, non desunt multi etiã ex his qui clauum tenẽt in Republica, qui hoc hominum genus, omni salubri doctrina & philosophandi scientia destitutum, sine vlla naturæ & anatomicæ rationis cognitione, omnium circunstantiarũ in Medicina facienda obseruandarum contemnens admirantur, suspiciunt, & amplectuntur: etiamsi eorum manibus propriam corporis salutem credere formidarent. Talibus viris te minùs assentiri (Dux potentissimè) non ignoro: cũ in Gallia æquè atque in hac Prouincia tuos habeas rationales omníque probitate & doctrina ornatos Medicos. Solius est huius ordinis rationaliũ morbos quibus humanum corpus opprimitur distinguere, singulorum causas & naturas inuestigare, omnibus salutares curationes decernere,


cernere, & in quem quique exitum inclinent (quod pene diuinum est) prænuntiare. Cuius prædicendi artis studiosus, hoc Medicæ prognoseos, sublime & excellens opus, sed ambitionis expers, exaraui. Fętus quidē est summis vigiliis, pertinaci & improbo labore, variisque partus torminibus. Qui in liberam lucem proditurus, tui augusti nominis vmbra & alis, vt à vulturum rostris & coruorum croticibus tutus auolaret, indigebat. Siue enim quod à veteribus Austratiæ Regibus, seu ab antiquissimis Lotaringiæ Principibus genus ducas: siue ab Arduennæ, Bononiæ, Brabantiæ, Cymburgij, Louani Ducibus & Comitibus vetustissimis sis oriundus: siue ab inclyto illo Bullinæo, Eustachi & Idæ filio, Solymorum & Asiæ triumphatore piissimo Vuillerni Regiæ tuæ gentis aui Germano, exordium trahas serie longissima: siue quod sub augusto & magno LVDOVICO Prouinciæ prouinciarum, quam tu intrepidè è tyrannorū faucibus, Maciliæ vrbi antiquissimæ & potentissi-

mæ libertate restituta, habenas Prorex mira prouidentia moderaris: Siue quod Heroïs illius Guisij, cuius nomen totum per orbem personat verè sis filius. Cui, amabo, generosiori & illustriori tutori, qui rei literariæ & medēdi arti plurimùm tribuit, potuit vel debuit laborum meorum hic fœtus committi aut consecrari? Quòd si Deum naturalis subditorum in Dominos inclinationis, & animi memor, Lābisci, cui aucta successione dominaris, incola (vbi publico honorario cohonestatus, & aëris salubritate allectus, Aquensi ciuitate relicta, medicinam facio) te tanquam dominum, & rerum omnium mearum legitimum protectorem suspiciam: nulli potui tot nominibus, has meas lucubrationes dedicare. Quare quātuluncumque sit hoc munus (Princeps illustrissime) quod ego tanquam excelso tuo nomini dicatæ Basilicæ Tholo deuotus appendo, æqui boníque consulas supplex exposco. Maxima quæque & sublimia me cōsecuturum gloriabundus, si illud idem serena fronte,

fronte tranquillóque animo ſuſcipias, veluti quoddam ſignum meæ erga tuam Celſitudinem iuſtæ ac debitæ ſeruitutis, atque hoc ipſum in manus ſtudioſorum Medecinæ, te auſpice, prodire permittas. Quod à tua dignitate non erit alienum, ſiquidem Principes ſcientiarum cultores ſuſcipere & hoſpitare conſueuerunt. Vale. Faxítque Deus Optim. Maxim. vt quàm diutiſſimè ſaluus & incolumis viuas, & vſque ad extremam ſenectutem, heroica Principum ſobole ditatus, benè & feliciter agas. Ex noſtro muſęolo Lambiſci tuæ dominationis, Idib. Auguſti, anno 1612.

Tuæ celſitudinis cliens addictiſsimus,

ANTONIVS CONSTANTINVS.



Amico Lectori, Salutem.



Quamuis humanæ menti negatum fuerit (amice Lector) per se & primò futura cognoscere, sed vel obiectis excitata præsentia intueatur, vel in reseruatas species mersa præteritorum recordetur, solius autem diuinitatis sit vnico aspectu intueri

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Huius tamē æternæ lucis radiis inferiores mentes illustratæ, futurorum etiam prænotione donantur: clara aliquando visione diuino numine abundantiùs afflatæ, ventura conspicientes aliàs coniectando solùm arte & præceptis instructæ imminentia procul cernentes. Qua posteriore

præsa

præsagiendi via, Medicis concessum est posse irruentes morborum casus præuidere, & præuisos ante enuntiare quàm accidant. Quod cùm maximam arti dignitatem tribuat, professoribus ingẽtem vtilitatem comparat. Dignitas quidem inde micat, quod futurorum quæuis prænotio magnum diuinitatis specimen referat: vtilitas verò inde emergit, quod rectè præsentiens Medicus, & sibi ægrorũ gratiam fidémque conciliet, & oportunius quibusque medeatur. Sed hoc vnum dolendum est, quod inter cæteras medicinæ partes, ea quæ futurorum morborum euentus prænoscendi præcepta continet, cæteris minùs exculta videatur: seu quòd sparsim aliis confusa tradi consueuerit, seu quòd imminutè à plurimis attingatur. Atque vtinam viri docti, & in artis operibus exercitati, suorum ingeniorum labores ita dispensarent, vt potiorem eorum partem in prænotionis Medicæ institutis penè neglectis diligentiùs excolendis insumerent, & quæ rudia sunt expolirent, quæ verò obscura propriis obseruationibus illustrarent. Quod vt quantum in me est aggrederer, quæ longa experientia adnotaui, & quæ ex principibus Me-

dicinæ scriptoribus diuturna lectione ad hanc artis partem vtilia obseruaui, in facilem & artificiosam methodum dispensata, rogatus tandem euulgare destinaui. Nolens fateor, & amicorum expostulationibus prouocatus, quod me maledicorum huius æui frequentia perterreret: maximè, cùm nec vel expertissimus coquus possit eundem cibum ad plurimorum gustum condire, nec quisquam sit qui sua scripta tam industriè componat, vt omnibus satisfaciat. Plurimi enim inueniuntur qui nihil nisi vndequaque excultũ ferunt, cætera criminantur. Quibus me satisfacturum non spero: qui rebus, tum Medicinã profitentibus, tum toti humano generi vtilibus, methodicè conscribendis intentus: fucatas dicendi veneres & verborum lepôres neglexi. Imò negotiosa mea viuendi ratio in curandis ægris continuò occupata, & quod me aggrauat seniũ, nequaquam permiserunt, plurima quæ longiorem curam, & seueriorem censuram desiderassent, vt par erat, examinare & expolire. Quæ alij quibus plus otij & negotij minùs relinquetur, accuratiùs excutient ac læuigabunt. Agricolas enim imitatus, qui variis operibus intenti,


malunt


malunt triticum licet non ſatis à lolio & auena expurgatum in nouæ frugis ſpem terræ committere quàm à ſatione abſtinere : ſatius duxi, hæc minùs exculta promulgare, quibus alij ad potiora proferenda excitentur, quàm occultare quæ plurimis profutura viri eruditi iudicarunt. Continet enim hoc opus non ea ſolùm quæ ad Medicam prognoſim faciunt, ſed omnium præterea ſymptomatum cauſas, in quibus diſcernendis iuniores plerumque perperam fatigãtur, explicat. Totius autem operis ea eſt methodus, vt in ſex libros diſtinctum ſit; quorum primo actionum animalium læſiones perſequimur: ſecundo, quæ ad vitalem facultatem ſpectant percurrimus: in tertio circa ſanguificationis vitia occupamur: quarto, excretorum & retentorum errores, ſcrutamur: quinto, eos affectus examinamus, qui in ſenſibilium qualitatum mutatione conſiſtunt: ſexto tandem Chirurgicorum morborum præſagia exprimimus. In quibus elaborandis quæ impenſa eſt opera, tùm mihi plurimùm grata futura eſt, ſi in Dei laudem, & plurimorum vtilitatem ceſſerit. Futurum enim eſt, vt quoſdam delectet hic Liber, alios faſti-

diat.

diat. Ne tamen ante iudicium feras, quisquis es Lector, quàm totum legeris: túmque vel meliora meditare & profer, vel his vtere ac fruere, & vale.

PRÆFA





PRÆFATIO.



RTEM presagiendi multi olim veteres excoluerunt, & tanquam vaticinationem quandam ob id admirati sunt, quòd optimi Medici sit officium, nõ solùm præsentem sanitatem conseruare & corruptam reparare, sed etiam futura præsentire & cùm oportunum videbitur, predicere. Talis enim Medicus, ceu optimus gubernator de longinquo occurrens futuræ tempestati, omnibus quæ ad ægros pertinent prospiciet & præcauebit. Et ex multo tempore singula consultè perpendens, quos superstites fore cognouerit, eos quoque rectiùs conseruabit. In exitialibus autem morbis, quæ futura sunt artificiosa coniectura præsentiens, adstantibus denuntiabit, vt & calumniam euitet, & præsidiorum famam tueatur. Quod aduertens mirus Hippocrates, omnium primus præsentiones ad therapiam pertinere existimauit. Non solùm igitur Medico præsagiendi ars est vtilis, verùm etiam ægro & adstantibus. Medico quidem, in

quem

quem omnes habent coniectos oculos, sententiam de morbis expectãtes. Qui si bona fortuna fecerit, vt sicut ab eo prædictum est, ita contingat (non contingit enim semper) suspiciunt, & admirantur prædicendi artem, & ad diuinationis naturam proximè accedere existimãt. Eóque sanè modo & laudibus effertur Medicus, &, vt dictum est, internecionis crimine vindicatur. Ad ægrum verò peruenit illa vtilitas, eius enim præscriptis facilè & exactè obsequitur, quem putat, & morbi sui naturam bene agnoscere, & numquam aut rarò in prædicendo errare. Ad adstantes denique spectat de morbi exitu prædictio, quorum vt plurimùm è re est, vtrùm qui periturus est, condiderit testamentum, aut officia vel beneficia resignarit.

*



IN OPVS MEDICÆ PROGNOSEOS D. ANTONII Constantini, ætatis nostræ Medici celeberrimi,

EPIGRAMMA.

SI præuisa minùs lædant pungentia tela,
Præuisum lædet sic minùs arte malum.
Curandis morbis prænotio præstat, & inde
Accedit Medico maximus artis honos.
Gratia Prognoseos diuos decet, vnde futuri
Temporis euentus solus Apollo refert.
Tu quoque diuino perdoctè hîc ordine promis
Quicquid de criticis censuit Hippocrates.
Obscura reliqui methodo scripsêre, sed vnus
CONSTANTINVS *adest candidiora ferens.*
Gaudeat hoc igitur pæonia turba labore,
Et vigili tantum mente reuoluat opus.


Amicitiæ ergò scribebat, STEPHANVS GAIOTVS, Medicus Salonensis.

APPROBATIONES.

NOs ſubſcripti Doctores Medici Lugdunenſes, teſtamur hoc Medicæ Prognoſeos opus legiſſe, quod iudicamus eruditionis & medicę ſcientiæ plenum ac dignum vt in lucem emittatur, tanquam omnibus Medicinæ candidatis vtile, & Reipublicæ proficuum. Datum Lugduni Idibus Februarij, 1613.

Y. CONNANVS.

A. C. A' GAVVILLA.



MEDICÆ PROGNOSEOS,

LIBER PRIMVS.

Circa quos morbos prædicendi ars versari dicatur, & vtrum sit certior in longis, quàm in acutis.

CAPVT I.



OLET melior pars Medicorum confiteri, & ratio etiam postulat, vt sicut boni Medici est in omnibus omnium partium morbis optimam victus rationem & artificiosam curationem præscribere. Ita de omnium exitu, quantum possit præsagiendi arte, pronunciare. Non enim solùm morbis, qui acuti sunt & breues, verùm etiam longis & omnibus in quibus excrementa, quæ mutationem subeant conspici possunt, hanc artem accommodari posse colligimus ex doctrina Hippocratis & Galeni. Sic de tussi & asthmate ex sputis, de imbe-

cillitate ventriculi & iecinoris, ex alui excrementis, de febribus diuturnis ex vrinis, de vteri inflammationibus & aliis affectibus, ex his quæ per vuluam decidunt, iudicamus. Sic in tumoribus, vlceribus, vulneribus partiũ externarum, tempora & longitudines, ex his quæ defluunt prænoſcimus. Et quemadmodum in cunctis morbis, qui ex humoribus ſunt orti, ex humorum illorum mutationibus prænotiones fiunt. Ita exiſtimandum eſt, in omni alio morborum genere, qui coctionem per excrementa cognitam non ſuſcipiũt, ex alio quopiã haberi poſſe prænotiones. Habent enim tales morbi ſemper aliquod ſymptoma conſpicuum & præcipuum, ex quo liceat internæ diſpoſitionis conſtitutionem intelligere, licet ex excrementis colligi nõ poſſit. Quod autem quæritur, de facilitate, aut difficultate, de certitudine, aut incertitudine præſagiorum, in morbis vtriuſque generis, contrariæ videntur extare ſententiæ apud Hippocratem. Ille enim aphor. 19. lib. 2. aphoriſmor. certitudinem & facilitatem morbis longis tacitè præbere videtur, cùm ait: *In morbis acutis non omnino ſunt tutæ prænotiones ſalutis & mortis.* Acutis verò, ſententia 6. lib. 3. progn. vbi ſcribit: *Morbi qui breuiſſimo tempore iudicantur, facilioris cognitionis ſunt.* Hanc difficultatem explicant qui morbos acutos inter ſe, longos inter ſe, atque hos cum illis comparant. Ex morbis enim acutis, alia habent præ

bent præſagia certa: quales dicuntur, qui toto genere ſunt mortales, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, vt apoplexia fortis, angina exitioſa,& illi quorum ſigna non confunduntur. Alij incerta, cuiuſmodi ſunt qui indifferentes habentur ad ſalutem, vel ad mortem: quorũ ſignorum confuſio facit, vt Medicus, quamuis prudens, aliquando decipiatur. Vel propter materiæ morbificæ orgaſum & varietatem, vel propter vires infirmi latentes, vel propter errores. Idem ſentiendũ de morbis chronicis, quorũ etiam ſunt certæ pronotiones: quales ſunt qui ſua natura ſunt ſalubres, vt febres intermittentes; aut lethales, vt phtiſis: aliorum incertæ, vt quorum ſunt ſigna dubia & confuſa modis prædictis. In collatione autem morborum acutorum cum longis, diſtinguenda ſunt tempora. Illi enim in principio certiorem habent prænotionem, hi verò incertiorem. Quia in acutis (& maximè ſi valdè acuti ſunt) ſtatim ſumma ſunt omnia, ita vt vires tam naturæ,quàm morbi facilè dignoſcantur,vnde ſalutis & mortis ſigna certa colligi poſſunt. At in lõgis quorum materia tardè mouetur (quia frigida) non poteſt in principio diſcerni exceſſus morbi ſupra virtutem, nec huius ſupra morbum, nihil mirum ſi quicquam certi de morbi exitu à Medico promitti non poſſit. Verùm ſi in progreſſu & ſtatu acutum cũ chronico conferas,quia tunc ſigna prognoſtica à co-

ctione vel à contrario ſumuntur. Certũ eſt prænotiones eſſe multo incertiores in acutis, quàm in longis. In illis namque materia calida & tenuis habens orgaſmum, poteſt tunc tẽporis impetu in partem principem ferri, & ægrum interimere. Quod in longis, quorum materia quietior eſt, & non tam variabilis, ſiue exitialis ſit, ſiue ſalutaris morbus, minùs eſt pertimeſcendũ. In ſalutaribus quidem, quia fieri non poteſt, vt materia morbifica, quę toto tempore quod præceſſit, fuerit naturæ obediẽs, & nunc victa ſit, vt malignitatẽ acquirat, modò nullus error committatur. Committitur autem vt plurimùm in longis, & ſæpius propter diuturnitatem, quàm in acutis & breuibus. Sic in lethalibus morbis, quorum materia paulatim corruptionẽ acquiſiuit, in ſtatu ad extremum corruptionis gradũ peruenit, eadem eſt prognoſis certitudo. Dicamus igitur, eo faciliorem & certiorem eſſe in morbis prænotionem, quo facilius & certius, poteſt eorundem virium cum naturæ viribus fieri comparatio.

A quibus fontibus ſumantur ſigna prognoſeos.

CAP. II.

PRopterea quod tota prognoſis ratio eò dirigitur, vt morbi finis innoteſcat, præcognoſcátque Medicus, an æger euaſurus ſit, an

moritu

moriturus. Hoc certe nulla ſcientia certiùs dignoſci poteſt, quam ſi artificioſa coniectura vires ægri cum morbo conferantur. Certũ quippe eſt vtrum horum duorum ſuperabit, euaſurum ægrum, aut moriturum: & eò citiùs vel tardiùs, quò fortius vel imbecillius vnũ fuerit ſupra alterum. Fiet autem ex arte illa comparatio, ſi natura, ſi magnitudo, ſi motus & mos morbi bene dignoſcatur. Primum ſigna propria & inſeparabilia, *pathognomonica* Græcis dicta, demonſtrant. Secundum eorundem ſignorum & ſymptomatum vehementia & magnitudo. Tertium partium morbi, principij videlicet, incrementi, ſtatus & declinationis tempus, quas partes morbus celeriùs aut tardiùs percurrit. Quartum denique, accidentia quæ ſuperueniunt morbis, declarant. Ad quod etiam non parum confert cognitio partis affectæ, in temperie, nobilitate, vſu, ſenſus acumine, & ſitu exiſtentis. Quibus ſi rerum non naturalium diſtinctio adiungatur, certior erit coniectura. Indicatur autem virium robur, vel infirmitas, propriis quibuſdam facultatum functionibus. Sunt enim tres præcipuæ facultates, quibus animal gubernatur, & in quibus vita conſiſtit, à tribus præcipuis partibus promanantes, vnde actiones prædictæ habent originem. Harum præcipua & nobiliſſima eſt animalis, in cerebro proprio domicilio exiſtens. Cui intra caluariam tãquam in arce contento,

adſunt ſenſus & motus inſtrumenta. Hanc facultatem illæſam eſſe oſtendit animalium operationum, tam internarum quàm externarum integritas: ſunt enim imaginatio, diſcurſus, memoria, ſenſus, motus, vigilia, ſomnus, &c. Secunda facultas eſt vitalis, quæ à corde tanquam à fonte manans, per arterias omnibus cæteris partibus, ſuum viuificantem ſpiritum diſpenſat: cuius robur & bona conſtitutio anhelitu facili: qui miniſterio pulmonum & partium thoracicarum efficitur, & pulſu æquali ac ordinato ſignificatur. Tertia naturalis dicitur, quæ ſui opificij, quod eſt ſanguificatio, habet iecur, propriũ & præcipuum inſtrumentum. Illud enim iñ infimo vẽtre poſitum à multis partibus tanquam miniſtris iuuatur. Nã vẽtriculũ propinquum & vicinum habet, à quo chili rudimẽtum accipit. Habet in caua ſui parte veſiculã felleã, & in latere oppoſito ſplenẽ, vt ab hoc humore terreo & nigro, ab illa igneo & flauo ſanguis purificetur. Habet vtrinque ad latera venæ cauæ, paulò infra ſe, renes, per quos ſanguis parte ſeroſa expurgatur. Habet denique in ima ventris parte veſicam vrinariam, quæ veluti laguncula vrinã, quam à renibus per vreteras excipit, & ad tempus ſeruat, donec voluntas iubeat eam extrudere. Læduntur autem hæ facultates ſingulæ tribus modis. Diminutè nempe, deprauatè & abolitè. Ex animalibus quidem minuuntur, &
abolen

abolentur,plus minus, internæ in affectibus frigidis cerebri,& in horum multis externę ſimul, vt in caro, in quo tamen ſpirandi operatio remanet. In comate, & in apoplexia omnes pereũt. Minuũtur in ſtupore functiones motrices voluntariæ,& in reſolutione abolentur.Læduntur deprauatè animales internæ operationes, in phrenitide,in melancholia,in mania,& furore,in vertigine. In hac tamen ſola imaginatio lęditur,& viſiua aliquando breui tempore aboletur. Deprauãtur motrices & ſenſibiles omnes potentiæ, in morbo comitiali, ſicut in eiuſdem paroxiſmo omnes principes & internæ abolentur.Tot modis etiam læduntur vitalis facultatis oporationes, tam in affectibus pulmonis, & partiũ thoracicarum, quàm in morbis aliorum membrorum. Minuitur enim vis pulſifica & interdum aboletur, in cardiaca paſſione, in ſyncope,in hyſtericis affectionibus, in aſthmate & anhelatione. Deprauatur in omnibus generibus febriũ,in pleuritide,in peripneumonia, in cordis palpitatione. Sic imminuitur & aboletur reſpirandi actio in caroticis affectibus, in apoplexia & angina exitioſa, in hyſterica paſſione.Deprauatur in tuſſi,in pleuritide, in peripneumonia,in phtiſi,&c. Iiſdem modis læditur ſanguificãdi poteſtas,& actiones omnium aliarum partium, quarum miniſterio vtitur hepar. Minuitur enim in omni ſpecie hydropis,in ſcir-

rho iecinoris, in dyſenteria hepatica, in omni immodica emorrhagia, &c. Deprauatur in obſtructione meatus per quem expurgatur ſanguis à bile flaua in veſiculam felleam, in inflammationibus hepatis ipſius, in affectioni bus lienis, quibus humoris nigri effluxus impeditur. Sic vẽtriculi, ad quem pertinet cibos appetere & concoquere, operationes læduntur, diminutè in cibi faſtidio, in proſtrata appetentia. Deprauatè in canina appetentia, in citta ſeu pica, in Boulimo ſeu ingẽti fame, in ſiti immoderata. Huius coquendi facultas læditur diminutè & abolitè in cœliaca affectione, & lenitate inteſtinorum, in apepſia, deprauatè in diſpepſia, in cholera morbo, & aliquando in alui fluxibus. Sic inteſtinorum operatio retentrix diminutè læditur, & abolitè in lienteria, in cœliaca paſſione, in voluulo. Deprauatè in diarrhœa, in cholera morbo, in dyſenteria, in teneſmo. Nõ diſſimilibus modis vrinationis actiones (cui ſubſeruiunt renes, vreteres, veſica, & ſphincter muſculus) læduntur, diminutè quidem in dyſſuria ſiue vrinæ difficultate, abolitè in iſchuria, id eſt, vrinæ ſuppreſſione. Deprauatè in ſtrãguria, quam vt plurimũ faciũt renum & veſicæ inflammationes & vlcuſcula. Ex ſupradictis læſionibus licet non ſolùm colligere, quantum poteſt natura aduerſus ægritudinem, aut hæc aduerſus naturam: verùm etiam ex ſubſtantia, quanti

quantitate & qualitate eorum quæ excernũtur, vel retinentur præter naturam, præsertim in morbis humoralibus : quorum vnumquodque constitutionem partium à quibus manat, & in quibus generatur, optimè demonstrat. Vrina siquidem de vesica, de renibus, de hepate, de genere venoso. Fæces, de intestinis, de ventriculo, de mesenterio, de sima parte hepatis. Sputa, de pulmone, & partibus thoracis. Sudores, de toto habitu & vniuerso corpore, testantur. Quæ excrementa si cocta sint & victa, non solùm salutem significant, sed & morbi breuitatem promittunt. Sicut eorum cruditas, cum virium robore longitudinẽ tantùm cum langore, mortem propinquam ostendit. Prædictis testimoniis de morborum natura & exitu, addũtur alia, quæ circa corpus apparent, quæque corporis affectiones, seu qualitates appellantur. Quarum tot sunt genera, quot sunt sensus quibus vel à Medico, vel ab ipso ægro percipiuntur. Auditu quippe percipit æger sibilum & tinnitũ aurium, vox verò clangosa, tremula, turbida, & rauca, à medico & ægro audiuntur. Sic colores præter naturam, vniuersum corpus, vel partes aliquas tantum maculantes, visui obiiciuntur vtrique, in morbo regio, in hepaticis & lienosis, in vitiligine, in elephantiasi Lingua, quæ facilè tingitur, modò alba, modò rubra, modò nigra, conspicitur. Sic in carbunculis, in erysipelatis,

herpetibus, & gangrena quædam partes amittunt colorem naturalem. Huius generis symptomatum sunt fœtores, qui olfactum Medici & ægri per expirationes & transpirationes, feriunt: siue à pulmonibus, siue ab auribus, siue ab axillis, aut aliis partibus, vbi humores cunctando putrescunt, proficiscantur. Quantum ad signa quæ per sapores innotescunt, non decet Medicum excrementa gustare, cui satis esse debet ab ægro intelligere, quid dulce, quid amarum, quid salsum, per nares, per palatum, & per cæteras corporis partes, in excrementis sentiatur. Ad hoc genus quoque symptomatũ referuntur, quæ tactu discernuntur qualitates; quales sunt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, mollities, durities, ariditas, asperitas, lęuitas, &c. quæ omnia isto sensu deprehenduntur. Tot sunt & plures aliæ affectiones, à quibus præsagij signa in omnibus morborum generibus desumuntur. De quibus optimo ordine, auxiliãte diuina gratia, agemus, simul atque de differentiis signorum hoc sequens caput præmiserimus.

Generalis signorum diuisio.

CAP. III.

QVando res ita tulit vt de morbis partium internarum nihil nobis innotescat, nisi quod

quod ex ſignis poteſt manifeſtari, optimo iure conſulunt authores, magnam diligentiam in iiſdem exponendis, & recēſendis adhibendam eſſe; ne quæ generis ſunt, cum iis quæ ſpeciei, & contra quæ ſpeciei, cum iis quæ generis, confundantur. Hoc enim reprehendit Galen. in eo, qui prorrhetici libri eſt author. Signorum igitur diſtinguendorum hæc erit methodus, vt alia ſpeciem morbi declarent, & ab eo ſint inſeparabilia: quæ *pathognomonica* Græcis dicuntur. Talia ſunt in pleuritide, lateris dolor pungens, difficilis reſpiratio, tuſſis, febris acuta. In melancholia, metus & mœſtitia. Alia aſſidentia dicta, quæ quidem non ſemper morbum comitantur, ſed ſæpe cum illo accidunt, feréque pathognomonicorum ſunt effecta; quæ interdum aut etiā perpetuò cauſis inhęrent, differentiáſque oſtendunt ab affecto loco, aut ſpecie, aut natura affectus. Talia ſunt in pleuritide ſputum cruētum, flauum, lingua arida, dolor ad iugulum, vel ad hypochondria declinans, decubitus facilior in hoc quā in alterū latus. Et hæ *ſyndreuōda* Græcis appellantur. Alia ſunt poſtmodùm apparentia, eáque multorum generum; quorum quædam benignitatem aut malignitatem morbi oſtendunt, quæ propriè *epiphenomena* dicuntur. Quædam, quæ naturæ certamen cum morbo, & motus criticos ſignificant, & ob id critica dicuntur: cuiuſmodi eſt anxietas, & perfrigeratio die

critico

critico facta. Nonnulla sunt coctionis & cruditatis,quæ in excrementis cernuntur. Alia denique sunt salutis & mortis , ex his sumpta , non solũ quæ cum excrementis, sed etiam quæ toto corpore apparent. Quartum addunt signorum genus omibus commune , quæ vno & eodem tempore signa sunt & symptomata:quæque neque critica sunt , neque æquè atque illa quæ in coctionibus versantur , sunt fida , nec omnino infida:quorum etiam alia semper sunt bona,alia mala semper. Huius generis sunt quæ obseruat Hippocr.aphor.33.lib.2. & alibi : *Mente constare, & rectè se habere ad ea quæ offeruntur,facilem esse respirationem, integrum pulsum , conuenientem decubitum, faciem bene valentium similem, caloris æqualitatem, & similia.* Ad hoc etiam genus referri possunt quædam , quæ sensibus ipsis percipiuntur , quæque in bonis numerantur , sicut contraria in malis. Exempli gratia: Totum corpus æquè calere,benigni morbi est argumẽtum; cui neque inflammatio interior, neque virium oppressio,aut extinctio , neque aliquis vehemens affectus coniungitur. Sic corpus æqualiter molle,vtramque duritiei causam abesse declarat. Sicut durities perseuerans est valde praua , & perpetua planè lethalis. Item sitis absentia in febre ardente, extincta vi sentiendi in ore ventriculi , lethalis est, in delirio praua : bona verò, quæ neque biliosum, & calidum redundantem humorem arguit,

guit, neque humidum putrescere in ventre, aut pulmone denuntiat, quale in hydrope sitim facit. Huius generis sunt quoque somni suaues & moderati, quíque laborem non faciunt, & contrarij; ex aph.1. lib.2. In exponendis autem signis cuiuscunque generis, quibus innititur prædicendi ars, habet Hippocrat. hæc vocabula familiaria: *Non malum, bonum, optimum: Non bonum, malum, pessimum.* Priora bonis signis, posteriora malis accommodantur. Ita vt primum sit de debilibus, secundum de fortibus, tertium de fortissimis & certissimis. In genere bonorum ergo alia promittunt dubiam sanitatem, vt quæ remisse sunt bona; alia securam, propinquiorem, vel remotiorem, quo vires firmiores vel infirmiores fuerint. In genere malorũ, quædam sunt etiam non bona, remissam morbi malitiam significantia: quædam simpliciter mala, quæ periculum quidem minantur, non tamen necessario mortem, & maximè si cum aliis signis bonis coniungantur: alia sunt summè mala, mortem ineuitabilem portendentia, propinquam quidem si vires langueant, remotiorem si valeant. Hoc quoque in vniuersum de signis statuendum est, vt omnia quibus boni aliquid vel mali certò pronuntiatur, sint firma & constantia: per aphoris.27. lib.2. Praua siquidem signa, quæ stabilem causam non habent, breui desinunt, & per translationem humoris à nobiliori

parte

parte ad ignobiliorem, aut per motionem criticam, ſæpe liberant ægrum affectu grauiori. Contra quæ modò bona ſunt, modò praua, per humorum transfluxum, & tranſmigrationem, modò in hanc, modò in illam partem (vnde diuerſa, & interdum cōtraria fiunt ſymptomata) in principio morbi, materiam turgentem, & naturam vinci à morbo denuntiant. Hoc modo ſuſpecta, & infidelis æſtimatur aliquando morbi remiſſio, quæ à multis cauſis ſolet contingere. Aut ſcilicet quia materia eius eſt heterogenea, cuius portione tenuiore reſoluta, vel ſenſibiliter euacuata, craſſior denuò inflammatur, & putreſcit. Vnde morbus qui leuior factus videbatur, recrudeſcit; vel quia fit tranſlatio materiæ à parte ignobili ad nobilem, vt in angina; vel propter ſpirituum & caloris innati reſolutionem, vt in febribus ardētibus, & in malignis, in quibus calor mitior ad tactum videtur; vel propter vltimum naturæ conatum contra morbum, vt in moribūdis videre eſt, qui paulò ante mortem, alacriùs moueri, & cibum appetere vidētur; vel denique quia ſenſus hebetior fact⁹ eſt, vt contingit in vſu narcoticorum. Quædam pariter ſunt ex prædictis ſignis, quæ grauiorem morbum factum ſine perſeuerantia oſtendunt: Quæque ſicut timorem & terrorem incutiunt ad ſtantibus, ita Medico ſpē ſalutis promittunt; cuiuſmodi ſunt quæ criſim præcedere ſolent,

in con

in conflictu naturæ cum morbo. Cum scilicet cocta materia, natura vtile ab inutili separare nititur, vt illud retineat, hoc deiiciat. Recrudescit quoque morbus sine perseuerantia, ex animi pathematibus, vt ira, furore, tristitia, &c. Hoc tandem de signis vniuersaliter est notandum, vt eorum vires potiùs quàm numerum perpēdamus. In magnis enim morbis & suapte natura lethalibus, vnicum signum prauum est multis bonis anteponendum. Et contrà in mitioribus vnicum bonum multis prauis. Hippocrates tamen in epidemiis, inter signa grauia & lethalia multos euasisse obseruat, quibus hæc tria in primis integra & inculpata fuerunt, pulsus nempe, respiratio, & appetentia, quòd ad salutem magnam vim habere comperiantur.

De prognosticis quæ sumuntur à læsionibus animalis facultatis internæ.

Cap. IV.

Diminutiones & abolitiones (quæ secundùm magis & minùs duntaxat differunt) facultatum animalium internarum, sequuntur potissimùm ad affectus frigidos cerebri. Sunt enim humoris frigidi soboles. Qui humor si cerebri ventriculos occupauerit, apoplexiam, epilepsiam, caroticos, & comatosos affectus diuersimodè dicitur generare. In quibus prædictæ actiones vt plurimùm abolentur. Si verò eodem

humore irroretur ſubſtantia illa cerebralis, minuitur memoria & aliquando omninò perit. Quòd ſi cum intemperie frigida fuerit copulata ſiccitas, ſtultitia ſimul, ſi humiditas, ſopor etiam coniungitur. Minuitur memoria ſiue potiùs perit omninò, & celeriter in phrenitide, *ob vapores copioſos, qui cum impetu feruntur ad caput*, nõ ſine multis phantaſmatibus, quibus obruitur memorandi poteſtas. Abo!etur memoria in rigore ſymptomatico & critico, eadem ratione qua in phrenitide: aboletur quoque in peſtilẽti cõſtitutione, à cauſa nõ cognita. Vt in ea de qua meminit Thucydides, in qua multis cõualeſcẽtibus ita deperdita eſt memoria, vt etiam nominis proprij obliuiſcerentur. Aboletur & in vulneribus capitis aliquando. Minuitur vel etiam perit in ſenibus, ab intemperie frigida, iuncta cum humiditate vel ſiccitate cerebri. Harum læſionum aliæ ſanantur facilè, aliæ difficulter, aliæ in affectus peiores incidunt, aliæ ad mortem terminantur. Sanatur enim facilè obliuio, in rigore critico, quia in eo corpus magis incaleſcit, quàm ante rigorem. Difficulter curatur ea quæ primaria cerebri affectione, & paulatim generatur. Incurabilis eſt quæ propter ſenium & ab intemperie frigida & ſicca efficitur. Incurabilis eſt, & ad mortem terminatur, quæ rigori ſymptomatico & phrenitidi ſuccedit. In illo, quia calor natiuus pugnæ ſucumbit, & à ſymptomatica

ptomatica per frigeratione vincitur. Tũc enim cor non habet ſpiritus, quos ſuppeditet facultati animali. In hac verò obliuioſi non ad ſe redeunt: quia cerebrum hoc modo refrigeratum vix vnquam poteſt reſtitui. *Intemperies enim frigida, quæ ſuccedit calidæ, eſt incurabilis.* In affect⁹ peiores tranſit obliuio, quando repente; cùm alia omnia in homine ſana eſſe videntur, contingit. Tunc enim, vt ait Ætius, vel morbus comitialis, vel ſyderatio, aut reſolutio, aut quoddam magnum malum cerebri ne ſuperueniat, eſt formidandum. Minuuntur & pereunt, plus minus, prædictæ functiones, in apoplexia, cuius varij ſunt exitus, pro eiuſdem variis differẽtiis à maiore vel minore reſpirandi difficultate deſumptis. Nam quæ maxima & acutiſſima eſt, magnitudinem cauſæ, ſequens, non poteſt non eſſe funeſta: nec, ſi authore Hippocrate ſuperueniat febris inde ſolutio fiet: leuis enim non ſufficiet, & vehementem vires non ſuſtinebunt. In ea ſiquidem natura ita ſucumbit oneri, vt ampliùs neque voluntate, neque inſtinctu thorax moueri queat. Pereunt ergo ægri aut quia omninò nihil reſpirant, aut cum magna violentia, & cum ſtertore, & intermiſſione, reſpirant. Quæ verò apoplexia habet quidem vehementem reſpirationem, minus inæqualem & inordinatam, mutatur in paraplegiam, & reſolutionem aliquarum partium, aut etiam vniuerſi

B

corporis: aut in amentiam, niſi proportionata febris ſuperuenerit. At apoplexia in qua reſpirationis ordo ſeruatur, cum ſtupiditate & incertitudine quadã motus (eſt enim omnium mitiſſima) remediis euacuantibus curatur. Viſa ſiquidem eſt plerumque apoplexia, ab obſtructis venis & arteriis carotidibus orta, copioſa venæ ſectione ſanata.

Lædunt prædictas functiones magis vel minus affectiones comatoſæ, pro vt grauior vel leuior fuerit ad ſomnum propenſio, à primaria cerebri affectione, vel ab aliis partibus per ſympathiam progreſſa. Ex quibus hac methodo licet prognoſticum colligere. Coma quod ab humiditate copioſa & vtili, cerebrum opprimente fit, vt in ebrietate, abſolutè bonum vel malum dici non poteſt, ſed adhibita diſtinctione, per aphor. lib. 5. *Si ebrius derepente obmuteſcat, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut qua hora crapula ſoluitur vocem recuperet.* Quod verò coma à ſanguinis copia gignitur, venæ ſectione curatur. Sic cataphora phrenitidi ſuperueniens, lethalis eſt per axioma: *Morbi frigidi qui ſuccedunt calidis lethales.* Sic cataphora ab extinctione, quam oſtendit pulſus paruus, languidus, ephidroſis frigida in capite & thorace, aut toto corpore, morti proxima eſt. Abolitè læditur imaginationis functio in catoche: In qua reliquæ etiam animæ facultates internæ vitiantur. De cuius exitu pronuntiandum

tiandum eſt,adhibita diſtinctione,grauitatis & leuitatis affectus. Leuior enim, cuius meminit Galenus ſent. 56. ſecundi prorrh. cūrabilis eſt, ab ea quippe condiſcipulus ille quem commemorat euaſit. Catoche quæ repente incidit, aut diu perſeuerat, cum ſignis ſalutaribus, in morbo diuturno, parotides prænuntiat. Catoche cui neque lotia, neque alui deiectiones ſuccedunt, & quæ cum virium exolutione fit, lethalis eſt ex ſent. 3. libr. 4. prorrh. ſicut ea, cui cum interrupto ſuſpirio ſudor eruperit.

De prognoſticis ab affectibus functiones animales internas deprauatè lædentibus.


CAP. V.

MAnia, melancholia, phrenitis, vertigo, incubus, affectus ſunt, quibus functiones internæ animalis facultatis deprauatè læduntur: in mania enim propriè dicta (multæ enim ſunt huius nominis acceptiones apud Hippocr.) deprauantur rotiocinandi & imaginandi potentiæ, illæſa memoria, quod teſtantur cantilenæ, quas cum priùs didicerint familiares habent. In melancholia eandem noxam patitur vis imaginandi & cogitandi. In phrenitide omnes illæ operationes deprauantur, præſertim ſi magna ſit. In vertigine imaginatio deprauatè etiam læditur, non ſine functionis viſiuæ &

motricis læſione, præſertim ſi vertigo magna fuerit, & tenebricoſa. Deprauatur denique imaginatio ſola in incubo dormituris contingente. Ad prognoſim ſpectat plurimum, diſtinctio harum omnium deſipientiæ differentiarum. Differunt ergo mania, melancholia, & phrenitis inter ſe, vt metus & mœſtitia, quæ ſunt melancholiæ ſymptomata, in mania & phrenitide non inueniantur: non enim metuunt, nec triſtantur phrenitici, multo minus maniaci: febri, qua à phrenitide diſtinguitur melancholia, non omnino caret mania; ea tamen diſtinctione, vt in maniaco delirium antecedat febrem, in phrenitide delirium febrem ſequatur. Ex quibus colligimus non eandem eſſe febrem quæ phreniticis contingit, quam quæ maniacis: non enim eadem eſt morbi materia, quamuis idem locus affectus: febris enim maniæ quæ ſuccedit phrenitidi habet cauſam atrabilarem, phrenitis verò bilioſam. At mania quæ per ſe fit, aut nullam habet febrem, aut ita exiguam, vt cauſa maniæ dici non poſſit. Ergo non ſola febre diſtinguuntur phrenitici à maniacis, ſed ea acuta, & quæ ab inflammatione oriatur.

His prælibatis, de omnibus prædictis læſionibus deprauatis, inſtituenda eſt methodica prognoſis. De phrenitide quidem, præmiſſa diſtinctione, temporum morbi, cauſæ, & eorum quæ

quę phrenitidi ſuperuenire ſolent. Quoad tempus, non ſolùm præſenti phrenitidi debet proſpicere Medicus, ſed etiam futuram præuidere, vt arte arceatur. Præuidetur ergo duobus potiſſimum ſignorum generibus. Quorum vnum conſiſtit in omni voluntaria actione, quatenus in ea decorum non ſeruat æger, vt ſi manus indecorè moueat, crura admodum in lecto contrahat, aut proiiciat, aut in ventrem iaceat, præter conſuetudinem & ſine conuulſione aut dolore. Et hoc eſt quod Hippocr. in prognoſtico, appellat inhoneſtam & abſurdam corporis compoſitionem in lecto. Item ſi quis frequenter ſputet ſine neceſſitate, ſi ſurgere indecorè, & lectum mutare velit, aut magnum & rarum ſpiret, aut totus à ſeipſo mutatus in moribus videatur, aut turpia loquatur: his viſis, vel breui futuram phrenitidem, vel iam adeſſe pronunciandum, de quibus eſt textus apud Hippocr. in epid. & in prorrh. *Mores mutare & turpia ac obſcena loqui præter conſuetudinem.* Alterum genus ſignorum futuram phrenitidem præſagientium, eſt ſenſus vacuitas, qua in animo exiſtente, non aduertit æger ſpecies impreſſorum, nec quæ ſub ſenſum cadit percipit impreſſionem. De qua phrenitide extat aphoriſmus, *qui parte aliqua dolentes dolorem non ſentiunt, ijs mens laborat.* quę nota eſt non ſolum inſipientis, ſed etiam completæ affectionis. Sicut quæ ſequuntur ſunt ſolius



exordientis. Nempe infestari immodicis vigiliis præter consuetudinem, variis imaginationibus turbari, opes censúsque iactitare, nũc irasci & clamitare, sine ratione, nunc meticulosum esse, & lachrymari præter consuetudinem. Eadem arte præuidemus melancholiã priùs quàm fiat, & maniam quoque. Cui maximè propensos existimare debemus, quibus est debilitas cerebri, quales sunt epileptici: qui non manifesta causa, aut etiam manifesta longo tempore perseuerante, metu & mœstitia afficiuntur: qui immodica pecuniarum cupiditate macerantur: qui indefessa opera literas & disciplinas sectã-tur. Hæc & similia huius generis si Medicus videat apparere, remediis conuenientibus, futuram melancholiam & furorem impediet. Quod attinet ad prognosticum, hoc de omni desipientia dicitur à Galen. comment. in aphor. 53. lib. 6. Nullam esse securam, minus tamen periculosam, quæ cum risu fit. Omnium verò periculosissimam, quæ audax est & temeraria. Habet enim hæc causam omnium mordacissimam, sicut illa mitissimam. Incurabilis fere est, quæ inueterascit, & in naturam conuersa est. Item omnis desipientia, cui vel hæmorrhoides, vel menses, vel varices superueniunt, soluitur. per aphorism. 11. & 21. lib. 6. *Insanis si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.* Item difficultas intestinorum, aut hydrops, aut extasis

insaniæ

insaniæ superueniens bonum per aphor.5.lib.7. Quod verũ esse posse in dysenteria & hydrope, non autem in extasi, ait Gal.in cõment. Et hæc de prognosi omnis desipiẽtiæ in genere. Quoad speciem. In phrenitide hac distinctione erit præsagiendum, vt alia ad salutem, alia ad mortem, alia in affectum alterius generis terminetur. Quorum trium terminorum ratio, optime dignoscetur, spectata phrenitidis causa, & accidentibus quæ phrenitidi solent superuenire. Nã quæ ex sanguine fit, & cum risu continuo perseuerat, securior est, ex Hippocrat. & curabilis: modò sanguis nõ sit substantia corruptus: tunc enim à natura vinci non potest, testante Galen. cap.5.lib.4.method. Quæ à bile pallida, est etiã curabilis, habet enim & febrem & delirium mitius. Quæ ex bile flaua, quam demonstrat vehementius delirium & febris, difficilius curatur; & sæpe exitialis est: & quæ à bile immoderatè calfacta, plus æquo adusta, & præassata; quod ostendit dementia ferina, efferata & melancholica, omnino funesta est. Optime omniũ, quæ succedunt symptomata, huius affectionis præsagium præbent. Phrenitidi enim ingrauescenti, fatiscente natura, tria hæc superuenire solent. Silentium nempe in extasi silente (obscuram phrenitidem Hippocrat. appellat primo prorrhetici.) Tremor in vehementissima phrenitide, & Conuulsio, morte imminente. Quo-

rum trium cauſæ ſunt, infirmitas & langor facultatis animalis, quæ nec membris vti, nec ſenſibus poteſt,& vehemens neruorum exiccatio, ab incendio febrili. Langueſcit autem facultas, tum à morbo ſuperata, tum à variis motionibus & vigiliis defeſſa. Superueniunt etiam phrenitidi, vrinæ tenues, & deiectio alba, malis ægri rebus: vt pronuntiat Hippoc. eodem loco per hæc verba: *Phreniticis alba deiectio mala eſt.* Albedinem autem acquirere illa excrementa, ait Galen. comment. ad ſent. 13. lib. 1. prorrhet. quòd bilis non ampliùs in ventrem confluat, ſed vnà cum ſanguine in vniuerſum corpus diſtribuatur, & ſurſum feratur. Huius generis eſt rigor qui peſſimè (vt ait idem aphoriſmus) phreniticis contingit, niſi criticus fuerit. Symptomaticus enim, magni morbi & peſſimi eſt ſignum, magnas mutationes breui tempore facientis. Sed de rigore ſuo loco, ſicut de ſtridore dentium, qui etiam exitiosè phrenitidi ſolet ſuperuenire. Lethali ſigno phrenitidi ſuperuenit ſemper lethargus: Siue errore medici nimio & diuturniore vſu refrigerantium vtentis, ſiue refrigerato aut reſoluto neruorum principio, fiat. Mutatur denique phrenitis diutiùs perſeuerans in furorem & immanem delirationem, funeſtè.

Quod ad prognoſim vertiginis, varium & multiplex colligitur, ex multiplici eiuſdem diuiſione,

uisione, quatenus scilicet alia est sanorum, alia febricitantium, alia criticantium. Vocatur vertigo sanorum, quæ sine febre fit; in qua vel primigenio affectu cerebrum laborat, vel secundario. Nempe à ventriculo, ab vtero, vel à genere venoso. Et hæc in apoplexiam, aut epilepsiam, aut in morbum obliuionis mutatur, ex comment. in aph. 17. libr. 3. Vertigo morbosa febricitantium si diutius in febribus permanserit, vel si per totum morbum simul cum febre perseuerauerit, lethalis est; per aph. coacarum: *Febres vertiginosæ & sine sudoribus, & cum sudoribus, lethales.* Præsertim si localem habeat in cerebro generationem, vel in venoso genere, bile fermentante pituitam, vel in aluo aut pulmone: quæ enim ortum habet ab oppressione ventriculi, non ita lethalis. Vertigo critica excretione critica soluitur.

Incubo imaginationem lædenti (quia humoris & vaporis crassi & crudi obstructione commeatum animalis spiritus impedientis, ad diaphragma & thoracem peruenientis, est soboles) nisi succurratur tempestiuis remediis, in melancholiam, epilepsiam & tandem in apoplexiam labitur. Nonnulli volunt hunc affectum, spirãdi ac loquendi difficultatem, difficilem motum, ac sensum obtusum efficientem, ita vt ægri se opprimi incubone putent, in paralysim transmutari, quandoque in subitam mortem, dum

paulatim in ventriculis cerebri, crassus humor aceruatur. Hactenus de læsionibus actionum facultatis animalis internæ.

De progn. læsionum facultatis animalis externæ, & primo de visione læsa.

Cap. VI.

Facultates animales externæ, quæ per neruos sensorios, & ad motum destinatos mediantibus musculis, dispensantur, multis affectibus diminutè abolitè & deprauatè læduntur. Sentiens quidem externa (cuius pro quinario numero sensuum, quinque differentiæ statuuntur à Gal. cap. 3 libr. de differentiis symptomatum) habet totidem organa, quorum beneficio rerum externarum species percipit. Inter quæ illud per quod visio efficitur, præcipuum est & nobilissimum; quemadmodum visio excellit omnes reliquas sensuum operationes. De læsionibus cuius hoc loco tantùm acturi sumus, quatenus ab ipsis sumuntur iudicia ad salutem vel mortem in morbis omnibus, & maximè in acutis. In oculis namque, tanquam in speculo, elucent & robur & imbecillitas facultatis. Quibus tantùm tribuit Hippocr. vt ex oculorum charactere colligat totius corporis constitutionem, inquiens sect. 4. libr. 6. epid. *vt valent oculi, ita & totum*

totùm corpus. Duo igitur conſiderantur in oculo, circa quæ verſantur omnes morbi,qui viſionem diminutè, abolitè, vel deprauatè, lædunt. Videndi nempe operatio,& motus. Labefactatur itaque oculorum puritas & ſplendor, vnde minuitur vel aboletur viſio, in morbis acutis, exempli gratia in pleuntide, aut per tranſlationem materiæ ad cerebrum; cùm ſcilicet temporis progreſſu, materia illic permanens, putreſcit & nigrior efficitur.vndè vapores caliginoſi ad oculos mittuntur, ac ſpiritu viſiuo tenebræ offunduntur: aut reſolutione ſpirituum, & natura eorum concidente: aut denique perit eadem puritas,neruo optico humore aliquo intercepto. Prima & ſecunda conſtitutio,non poteſt non eſſe ſuſpecta: cùm omnis traſlatio ab ignobilibus ad nobiliores partes, in malis ſemper habeatur, atque irreparabilis ſit ſpirituum ab imbecillitate, in morbis acutis reſolutio. ex ſent.1 1. 2.prorrh. Tertia verò vt plurimũ incurabilis quidem eſt, ſiue derepentè, ſiue ſenſim fiat; ægro tamen non adfert mortem. Vbi notanda eſt differentia quæ eſt inter hebetationem oculorum,quæ morbi eſt per ſe,ab illa quę febris eſt ſymptoma.Quod in hac multa turbulenta & caliginoſa ob oculos verſantur, quæ viſa propria ſunt delirãtium, & propè omnium qui vita funguntur,illíſque clauſis oculis apparent. In illa verò apparitiones externæ ſunt, propter

propter opacum humorem interpoſitum inter humorem criſtaloidem & corneam tunicam: Quæ viſiones intuenti ſe offerunt, quaſi ante oculos ſitæ ſint. Eædem læſiones fieri ſolent à lemis & ſordibus. Ex quibus vt intelligatur quid prædicendum veniat, notanda priùs eſt earundem triplex generatio. Vna eſt in inſtrumentis ipſis affectis; vt inflammatis oculis, aut alio morbo laborantibus, tam propter humoris qui præter naturam eſt, copiam, quàm propter organa ipſa malè affecta, alimenta propria non benè coquentia. Altera generatio eſt, vbi caput plenum pituita fuerit, cutis verò frigore adſtricta. vt in boreali conſtitutione. Tertius modus generationis lemarum eſt, ab imbecillitate facultatis naturalis, quæ oculos moderatur. Non qualibet, ſed tali & tanta, vt ne modicum quidem oculorum alimentum concoquere poſſit. Prima igitur generatio nihil habet periculi. Tertia prorſus lethalis eſt, quæ à reliquis duabus diſcernitur: tum quia poſt tertium aut quartum diem, non antè, vi morbi incidit: tum quia concaui fiunt tunc temporis oculi, quod ſignum eſt potiùs penuriæ, quam copiæ humoris, vnde colligitur facultatis imbecillitas, non potentis tantillum alimenti, quod oculis diſtribuitur, concoquere. Lædi etiam dicitur viſio dum lachrimantur oculi, ſiue voluntariè, ſiue inuoluntariè. Illi enim, quia præ dolore, aut

miſeri

misericordia, aut aliqua animi affectione, exprimuntur lachrymæ, nihil mali est: hic verò cõtra. De his igitur lachrymis est, hac præmissa distinctione, præsagiendum. Num scilicet inflammatis oculis decidant, aut ex fluxione aliqua è capite oriantur, an verò ab imbecillitate facultatis retentricis. Primis enim duobus modis, contra naturam quidem fiunt lachrymæ, non tamen prorsus signo lethali: Imò interdum etiam sunt vtiles. Deteriores multò sunt in vehementi phrenitide, sanie tenui, ex inflammato cerebro, in oculos redundante. At quæ exoluta & extincta facultate retentrice ipsius oculi substantiæ insita, exeunt lachrymæ (musculis scilicet & carunculis, quas angulis oculorũ natura adiunxit, quasi præsidia quædam arcendis lachrymis, contabefactis & resolutis,) Tale, inquam, lachrymæ omnium sunt exitiosissimæ. Huc pertinet luminis fuga, id est, luminis præsentiam ferre nũ posse. Cuius causa communis est imbecillitas facultatis videndi, quæ à cerebro in pupillam affluens obiecti vehementioris occursu offenditur; quæ facultas laborat, vel propter affectionem instrumentorum, vel per se ipsam affecta est: illud non est periculosum, hoc non caret periculo. Imò in febribus acutis, aut phrenitidis est prænuntium, aut mortis: præsertim si remisso certamine, natura impugnata fatiscat, oculorum splendidum instrumentum

collaba

collabatur,& humor aqueus abſumatur. Tunc enim luminis auerſio, exitialis eſt omnino, & ægri iam iam morituri certiſſimum argumentũ. Eædem læſiones viſui contingunt, dum alter oculus altero minor fit, quam à natura factus ſit. Quod quia ſignificat ſpiritum, calorem inſitum,& humorum tum natiuum,tum alimentarium deficere, & facultates principes extingui, humoribus & tunicis, præ ſiccitate concidentibus:non eſt mirum ſi ab Hippocr.ſymptoma mortiferum pronuntietur.Cur autem ſummus ille author alterum oculum non vtrumque dicat,cauſam adfert doctiſſ.Iacotius.Quod ſcilicet non ſimiliter facultas animalis in vtrumq; deſcendat,vel ob maiorem vnius quam alterius infirmitatem,vel ob viſceris interni,cui è directo ſitus eſt oculus,latens vitium.

De prog. læſæ viſionis à vitiis muſculorum oculum mouentium.

Cap. VII.

ALterum caput læſionis viſus, de iis erat propoſitum, quæ vitio muſculorum oculos mouentium & palpebras, fieri ſolent. Qui muſculi, cùm conuulſioni, reſolutioni & tremori,ſicut & reliqui omnium membrorum,ſint obnoxij: fit vt cum eorum vitio vel torquentur

oculi

oculi,vel peruertuntur,vel agitantur,vel fixi & immobiles permanent, vel nictant, vel cauantur,vel prominent,vel clausi,vel aperti manent, præter consuetudinem,prædictis omnibus modis visio lædatur. His ergo oculorum vitiosis motionibus quid in morbis sit præsagiendum, sigillatim examinandum est. Conuulsis itaque prędictis musculis cauantur oculi,contorquentur,peruertuntur,& immobiles manent.Sequitur autem cauitas eorundem oculorum,ad omnes immodicas & manifestas euacuationes, ad sanguinis & caloris penuriam, aut victa natura & morte imminente,aut natura victrice,& post morbum diuturnum, Ergo si initio morborum acutorum cauentur oculi, colliquationis signũ est. Nam oculi cùm sint humidiores, & molliores cæteris partibus,plurimúmque animalis spiritus & calorem non exiguum, contineant, facilius à calore febrili absumuntur, aut contrahuntur & excauantur: consumptis scilicet resolutis, vel ad viscera, propter paucitatem, reuocatis spiritibus. Calor enim cum sit in acutis acris,flammæ instar,sursum ascendens, absumit primum exiguas illas caruncul as,quæ cartilaginibus & ossibus oculorum incumbunt, signo maximè lethali. Eandem conuulsionem æqualem sequitur oculorũ immobilitas. Quæ si exhausta iam materia, & natura ad exilium inclinante, in acutis fiat, melancholiæ & insaniæ signum

gnum eſt. Fit etiam oculus fixus, & immobilis, à reſolutione eorundem muſculorum. vel ab imbecillitate facultatis, quæ muſculos mouet. Interdum virtute tòrpida, & oculis præ ſiccitate rigidis. Cuius immobilitatis prognoſis colligitur, ex cauſarum diſtinctione, & morbi natura, additis aliis ſignis: Eorundem muſculorum conuulſionem inæqualem ſequitur oculorum contorſio, & peruerſio. Quod vitium ſi muſculis illis proprium ſit & naturale, non eſt metuẽdum. Si verò à cerebro proueniat, extrema pernities ſignificatur. Siquidem cerebri paſſiones, proximi nerui ante alios ſentiunt: modò illi qui feruntur ad prædictos muſculos, modo temporales. Contraria immobilitati oculorum, eſt mobilitas, & inconſtantia eorundem, qua, vt ait Hippocr. aſſiduè nictant; quæ ſicut in ſanis, calidi cerebri & inconſtantis, vel naturæ imbecillitatis in prædictis muſculis, eſt ſignum, nullo imminente periculo: ita in acuta febri nihil boni portendit, ſiue à bile in cerebro efferuente excitetur, qua variè agitantur animales ſpiritus, & nerui, qui in muſculos oculorum inſeruntur, acriter vellicantur, vt in phrenitide: ſiue à tremore & imbecillitate muſculi firmantis & corroborantis oculum, qui comprehendit baſim viſorij inſtrumenti: ſiue denique ab occurſu nimij fulgoris fiat. Cauitati oculorum contraria eſt eorundem prominentia, quæ viſionem
vel

vel minuit,vel deprauat. Nam si à peculiari vitio, & resolutione musculi circundātis neruum opticum, efficiatur, visum minuit. Si verò à multo spiritu, aut halitu confertim foras delato, vt in phrenitide, & magnis capitis doloribus, visum etiam deprauat. Harū duarum prominentiarum, vt prior exitiosa non est, ita hæc eandem habet prognosim, quam phrenitis & furor. Horrendum enim aspectum & veluti exterriti hominis, vulgò notant inter lethalia signa,in morbis acutis.

De prog.læsæ visionis à vitiis palpebrarum.

Cap. VIII.

PAlpebrarum (quarum superior duorum musculorum ministerio eleuatur, vno deprimitur, inferior immobilis est) vitiis offenditur etiam videndi operatio. Quatenus scilicet immobiles sunt,siue eleuatæ perpetuò perseuerant,siue depressæ, aut quia distorquentur, aut quia sine ordine motitantur. Si itaque resoluantur aperientes musculi, descendit palpebra & immobiliter deprimitur, sicut si ambo prædicti musculi conuellantur, sine motu eleuantur,& oculi aperti semper manent.Sed si alterutrum musculorum, vel conuellatur, vel resoluatur,sequitur palpebræ peruersio. Sicut hiat

& ſupina eſt palpebra, cùm claudens muſculus reſoluitur. Quoad prognoſim, tentio conuulſifica (quæ in acutis morbis reſolutione eſt multò frequentior) aut accidit palpebris peculiari vitio ſuorum muſculorum, aut reuulſa & corrugata fronte, præ ſiccitate, quæ vna palpebram eleuat; aut cerebri conſenſu & neruorum immodica reſiccatione, à calore febrili. Primùm nihil aut parum periculi habet. Secundùm eſt magis metuendum. Tertium eſt planè pernitioſum. Priùs tamen quàm ex his mors certò prænuntiari poſſit, addenda eſſe aliorum ſignorum teſtimonia, ſecundum Hippocrat. ſent. 15. lib. 1. prog. diximus.

De prog. læſionum ſenſus auditorij.

CAP. IX.

QVemadmodum videndi, ita audiendi operatio tribus malè afficitur modis, diminutè ſcilicet, abolitè, & deprauatè. In primo, ſonus etiam in mediocri ſpacio, & moderata aëris percuſſione, vix percipitur: Diciturq; difficilis aut tardus aut grauis auditus. In ſecundo ſonus externus nullo modo auditur, & ſurditas appellatur. In tertio ſonus quidam interior, aliquando ſine exteriori, aliquando cum eo intelligitur. Et hæc affectio tinnitus aurium, ſeu ſibilus, nuncupatur. Grauis igitur auditus & ſurditas,

tas, quæ magnitudine tantùm differunt, aut ab ipſo ortu contracta eſt, aut poſt ortum: ſed longiſſima & iam abſoluta, aut nondum inueterata. Prima, quia vitio conformationis facta eſt, nulli remedio cedit. Sicut nec ſecunda, ſi poſt duos annos continuet. Tertia, quia nondum in habitum confirmata, quæ repentè vi ipſius febris ſuperuenit, diſtinctione indiget, vt de ea prognoſis verificetur. Vel enim criticè, vel ſymptomaticè accidit. Illa fit in morbis diuturnioribus, à materia paulò frigidiore; quæ & ſpem adfert abſceſſus, parotidum prænuntia, præſertim accedēte comate, per aph. 73. tertij prorrh. *In capitis dolore coma & ſurditas, abſceſſum aliquem poſt aures eructant.* In tenuioribus autem & calidioribus humoribus, hæmorrhagiam, aut profluum alui, aut abſceſſum ad coxam, aut omnia ſimul denuntiat. Surditas ſymptomatica, ſi ab humore aliquo, vt bilioſo, in auditorio meatu infixo, atque impacto, abſque vllo peculiari aut inſigni vitio inſtrumenti auditorij, aut facultatis fiat, facilè conquieſcit; Bile ſcilicet ad inferiora tranſlata, aut per hæmorrhagiam narium. ex aphor. 28. & 60. libr. 4. Si verò extincta audiendi facultate, quæ eſt acuti morbi aut turbulenti conſequens, (id eſt in qua iam mens leuiter offenditur, vires infirmæ collabuntur, & ſentiendi facultas extinguitur) ſurditas contingat, omnium deterrima, & maximè lethalis eſt;

& de hac surditate est particula illius aphorismi: *In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, &c. si non videt si non audit, &c.* Deprauatæ auditionis symptoma, tinnitus aurium siue sibilus appellatur. Est autem vnus sonitus aurium naturalis & sanorum, quem non sentimus nisi admota manu ad aures vel re aliqua præsertim concaua & leui. Cuius perceptionem incolumitatis aurium indicium esse, ait Aristoteles 2. de animo. Alter tinnitus est morbosus, & contra naturam, magis vel minùs lædens. Malus quidem est, qui fit ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem, exhalantibus vaporibus ex ore ventriculi ad aures ipsas. Deterior ex humore crasso, qui intimam aurem occupat. At deterrimus putatur, qui in febribus acutis accidit. In quarum statu si fiat, quo tempore crises fieri consueuerunt. Tunc enim propter humoris agitationem in venis, aures implentur sonis. Ex quibus derepentè ortis, modò cætera consentiant, tutò crisim prædicere possumus. In declinatione & his qui ex morbo reficiuntur, propter aurium imbecillitatem, & resolutionem humorum, tinnitus & strepitus solet exaudiri. In quibus duobus modis nihil est periculi. Qui verò soni in febre acuta exoriuntur, vel ex biliosa materia, quæ per venas fertur, cuius motu & agitatione flatus ad caput peruenit, vel ex inflammato cerebro, & vehementiùs commo-

to, hali

to, halitu ab incendio intus concluſo, lethales iudicantur. Præſertim ſi alia praua ſigna accedant, qualia ſunt vrinæ crudæ, confuſæ, mentis leuis perturbatio, & ſimilia per aphoriſmum. *Bombus in acutis, & ſonitus aurium, lethale.*

De prog. læſionum ſenſus odoratus.

C A P. X.

GAlenus libello de inſtrumento odoratus, anteriores ventriculos cerebri, eſſe olfactui deſignatos confirmat, hoc argumento: *Talia oportet eſſe odoratus inſtrumenta, quales ſunt res quæ odoratu percipiuntur. Sed odores reſultant ex halitibus. Ergo halituoſum eius inſtrumentum eſſe oportet.* Eiuſmodi eſt cerebri anterior pars, abundans ſpiritibus: Oblæſa itaque olfaciendi operatio, ſiue diminutè, aut abolitè, ſiue deprauatè fiat, ad anteriores cerebri ventriculos pertinebit. Fiunt autem hæc vitia, aut primario affectu, vt cum cerebrum, in illa parte præcipuè, aliqua intemperiè, aut mali humoris alicuius exuperantia, laborat: & tunc vox manet incolumis: aut cum in oſſibus colatoriis adeſt cauſa, quod oſtendit vocis vitium. Nares enim, quia olfactui & ſpirationi ſubminiſtrant ſpiritum, voci nonnihil conferunt. Diminuitur igitur vel amittitur olfactus vitiis omnibus, quibus magis vel minùs impeditur halitus externi ingreſſus, ad loca vbi

odorum fit perceptio: *Qualia ſunt anguſtia oſsium colatoriorum, polypus, carcinoma, carunculæ, rheumatiſmus perſeuerans*, & alia eiuſmodi, quibus viæ ad cerebri ventriculos impediuntur. Deprauatur vlceribus malignis & putridis narium (ozenas appellant) quæ quia putridorum & acrium humorum ſoboles ſunt, graueolentiam in ſpiritibus, qui per nares ingrediuntur & egrediuntur, pariunt. Prognoſis harum læſionum colligenda eſt, diſtinctione loci affecti, & affectus ipſius. Nam odoratus diminutio, vel abolitio, quæ fit ab intemperie ventriculorum anteriorum cerebri, vel potiùs ab eorundem repletione, grauis putatur, & non aſpernanda; propter periculoſos affectus, in quos interdum mutari conſueuit. Odoratus ablatio, quæ ſequitur impedimentum viarum, aliquando curabilis aliquando incurabilis eſt, pro vt ab affectu grauiori vel leuiori ſequitur. Odoratus verò deprauatio, magna ex parte periculoſa eſt, præſertim ſi in morbis acutis accidat, & odor valdè putridus ac fœtidus ſpiret: vt in vlceribus narium. Quorum alia faciliùs curantur, vt recentia, ſuperficialia & munda: alia difficiliùs, vt occulta, profunda, immunda, oſſibus narium & colatorio potiſſimùm communicata. Alia ſunt perniciosiſſima & lethalia, vt diuturna, fiſtuloſa, putrida, corrodentia, cancroſa. Et maximè ſi mammillaribus carunculis, & cerebro communicentur.

De

De prog. læsionum gustus.

Cap. XI.

DVæ ſunt præcipuæ partes guſtui deſtinatę, quæ ſaporum differentias primariò excipiũt, Lingua nempe & palatum; quæ rationem medij interioris & inſtrumenti habent, quarum variis affectionibus variè læditur guſtandi operatio, ſiue perpeſſio. Eſt autem lingua crebrò medico ſpectãda, non minùs quàm vrina. Cùm ad prædicendum in morbis non minor eſt vis ex illa, quàm ex his. In lingua enim propter ſuam compoſitionem & conſtitutionem naturalem, facilè omnium humorum, & vaporum vniuerſi corporis, & maximè partiũ internarum ac cerebri, qualitates imprimuntur.

Minuitur itaque aut perit omnino voluptas, quæ ex ſaporibus guſtu percipitur, lingua molli, multaque humiditate imbuta, aut irrigatis nimium neruis, qui à tertia coniugatione prodeunt, ad guſtum. Eadem ſequitur noxa, & prorſus perit guſtus, ex extinctione caloris natiui, in moribundis, in quibus lingua liuida eſt & frigida. Non enim apparet talis, niſi in magnis inflammationibus viſcerum, aut in febre peſtilenti. Deprauatè læditur eadem guſtandi poteſtas in affectibus, quibus res guſtabiles alio guſtu percipiuntur, quàm præ ſe ferant. Sic

amara aut ſalſa iudicantur guſtu deprauato quę ſunt dulcia. Et quemadmodum ex colore linguæ, ſic ex ſapore, qui ſucci vitioſi redundent in corpore, ſolemus iudicare. Lingua enim vincenti materiæ, aut coniunctæ, quæ morbum facit, concolor eſt, & eidem eius repræſentantur qualitates; ex quibus & natura morbi & præſagium colligitur. Quò itaque lingua horridior & aſperior videbitur, eò deprauatior guſtus erit, & res ægri peiore loco; maximè ſi in principio morbi, quod primo quaternario limitatur contigerit. Fit autem lingua horribilis duobus modis; aut contracto introrſum humido, & caloris propter penuriam extinctione; vel calore naturali exhauſto, & inæqualiter diſperſo, à calore febrili & igneo, vnde exareſcit lingua, & difficilè exeritur. In priore modo frigus digito percipitur, & mors in propinquo ſignificatur. In poſteriore, aſpera, ſicca & arida percipitur lingua, minori periculo. In principio tamen, vt dictum eſt, deterior iudicanda: quia inde febris celeritas, vehementia, & malignitas ſignificatur. Nigredo verò linguæ, ſi cum humiditate iungatur, non ita deprauat guſtum, & minùs eſt periculoſa, quā ſi nigra & arida appareat. Quod ſi cum aſperitate & veluti quodam liuore ſit copulata nigredo, non ſolùm fuliginis, aut ſeri atræ bilis ſoboles eſt, ſed etiam extinctionem caloris, conſumpto humido oſtendit. Alterum
organum

organum guſtus, palatum nempe, ſi intemperie, aut tumore, aut vlcuſculis laboret; guſtandi actionem labefactat magis vel minùs. Intemperies quidem calida eundem aliquando deprauat, frigida minuit & aufert omninò, ſi excedat. Tumores palati, qui vt plurimùm ſpectata loci natura ſuppurantur, ſiue per defluxum fiant, ſiue paulatim ex congeſto partis excremento generētur, non ſine guſtus deprauatione. Quod maximè faciunt exulcerationes, quæ pueris lactantibus in ore, vitio lactis corrupti in ventriculo. In adultis à fluxionibus acribus ex bile & pituita ſalſa, ex mala euaporatione & praua putredine, à ventriculo, vel à pulmone ſublata. Fiunt etiam in febribus peſtilentibus, & malignis prædictæ exulcerationes, quas aphthas Græci appellant. Quarum prognoſis diſtinctione ætatis, cauſarum & locorum colligenda eſt. Pueri enim citiùs ab his conſumuntur quàm viri; præſertim ſi aphthæ à gingiuis incipientes, ad palatum & totum os, tum ad vuam & fauces, propagentur. In adultis verò, quia vt plurimùm à fluente humore oriuntur, & aliquando depaſcentia vlcera euadunt, (nomas Græci dicunt) difficiliùs curantur, præſertim ſi ab atra bile fiant. Aphthæ quæ in ſuppuratis ex corrupto ſanguine & feruente circa cor fiunt, & ſanie acri in corpore coaceruata, atque à pulmonibus malè affectis, cùm in partes oris, tum in

cutem effusa, lethales sunt, sequentes exitium morbi à quo manant.

De prog. læsionum sensus tactus.

Cap. XII.

TActus non sicut cæteri sensus, peculiari aliquo organo concluditur. Sed toto corpore disseminatur, vt tanquam excubitor aliquis, violentos rerum externarum impetus persentiret, eosdémque moneret arcendos. Quam ob causam natura numerosos surculos neruorum à spinali medulla deductos, per totum corpus distribuit, ac veluti rete quoddam in cutem ipsam dispersit. Quam idcircò omnium extremorum medium esse voluit, præsertim quæ est in vola manus, vt sensibilium omnium esset veluti norma quædam, mediante neruo, qui est proprium tactus instrumentum. Nec desinit visceribus & partibus internis sui quibusque nerui, quibus de iniuriis conqueruntur. Sunt autem obiectum tactus qualitates tactiles, quæ per oppositas cõiugationes, septem constituuntur. Prima est calidi & frigidi, Secunda humidi & sicci, Tertia grauis & leuis, Quarta duri & mollis, Quinta friabilis & lenti, Sexta asperi & leuis, Septima crassi & tenuis His ferè omnibus si naturæ modum excesserint, læditur aut diminutè aut abolitè aut deprauatè tangendi operatio.

ratio. Diminutè quidem & abolitè in ſtupore & torpore, læditur quoq; motus. Quicquid enim attigerit pars ſtupore correpta, à quacunque cauſa fuerit affecta, obſcuro & hebeti ſenſu affectionem percipit, vixque moueri poteſt, & ſi cogatur moueri, dolet. Cauſa autem ſtuporis & inſenſibilitatis eſt duplex. Inſignis ſcilicet refrigeratio, cum humore aut ſine humore, & neruorum anguſtia atque compreſſio; ſiue à ligatura, ſiue à luxatione vertebræ, ſiue ab aliqua inflammatione, neruum aliquem adſtringente, fiat. Qui igitur ſtupor à refrigeratione, aut compreſſione nerui, perfectè ſpiritus animalis additus ad partem intercipiatur, paraplegiam facit; ſi ad totum corpus, apoplexiam. De huius prognoſi diximus antea, de illius ſuo loco. Stupor verò in febribus periculoſiorem habet cauſam, & plerumque lethalem. Nam cùm ſtupet pars aliqua, calore natiuo euaporato, ac diſcuſſo à febrili, planè lethale eſt. Torpor in principio morbi, qui modò abeſſe modò adeſſe videtur, periculum ſignificat & paralyſim minatur. Quod ſi longiùs progreſſo morbo, ea viciſſitudo perſeueret, ſignum eſt aut læſæ mentis, aut extinctionis caloris natiui. De quo torpore intelligitur aphoriſmus ille: *Torpor vtroque celeriter tranſiens malum.* Deprauatur ſenſus tactus ab omnibus cæteris obiectis, quæ poſſunt inferre dolorem. Vt autem fiat dolor, neceſſe eſt obiectum

ctum dolorificum occurrere corpori neruoso, tam repentè & violenter, vt soluat continuum, fiatq; non solùm speciei affectionis impressio, sed etiam apprehensio. In impressione enim est sensus corporis neruosi, & in appræhensione est affectus indicium. Ex quibus patet ratio, cur sæpè in causa grauissima, dolor est leuissimus. Quod fit, vel quia non fit appræhensio, vt in phreniticis, vel quia non fit impressio in parte, cuius sensus extinctus est, vt in moribundis & resolutis. Ex quibus colligitur, vt dolor sit sensus seu perceptio rei naturæ tristis. Sicut voluptas est perceptio rei gratæ & consentaneæ naturæ. Et quoad prognosim, in vniuersum de dolore scire oportet, non solùm loci dolentis naturam, verùm etiam doloris species, proprietates & magnitudines. Confert etiam plurimũ intelligere, non esse repugnans rationi causam doloris esse in vna parte, & in alia doloris sensum. Cuius rei causam volunt esse, aut sensus in acrimonia varietatem, vt in pulmonia: in qua pulmo non dolet, sed pectus: in lapide vesicæ & vlcere, dolor in pudendi extremo sentitur: aut conuectionem partis cum membro duro, & non cedente, qua conuectione fit, vt in pleuritide, & hepatitide, dolor ad iugulum ascendat: aut denique varietatem in quiete & motu. Nam cùm pars quiescens cum parte mota connectitur, quæ mouetur magis dolet, quamuis in quiescen

quiescente fit causa doloris. Hæc sint dicta de dolore quo deprauatè læditur sensus tangendi. Nunc de signis doloris partium singularum.

De prog. à doloribus capitis.

Cap. XIII.

DOlores capitis nouos & facilè solubiles cephalalgias nominare consueuit Gal. Eos verò qui inueterati sunt,& difficilè soluuntur,cephaleas, sub quibus continetur hemicrania, hac tamen differentia, vt in illis totum caput, in hac dimidium tantùm capitis afficiatur. Partes autem in quibus doloris causa imprimitur,sunt vel internæ, vt duæ membranæ, venæ arteriæ;vel externæ,vt cutis, musculi temporales,& pericranium.Causæ doloris in vniuersum sunt,vel solutio continui, vel alteratio confertim facta, quæ enim paulatim fit non sentitur. Causæ solutionis continui & alterationis, sunt vel flatus, à quibus dolor tensiuus; vel bilis excrementosa,vnde dolor mordax;vel plenitudo, eàque sanguinea aut alterius humoris, vnde dolor grauis. Dolétque caput aut per primariã ipsius affectionem, aut per secundariam. Illud ostẽdunt hæc symptomata,vertigo,aurium tinnitus,grauitas capitis,olfactus,aut alicuius sensus læsio sine nausea aut cardialgia. Hoc verò demonstrat prædictorum symptomatum priuatio,

uatio, additur quòd hic dolores non ſunt ita pertinaces, curatíſque morbis vnde manant, ſanantur. Trahitur autem caput in ſympathiam omnium partium internarum, calida affectione laborantium, aſcendente aliquando per continuas partes ſolo calore. Interdum cum ſpiritu vaporoſo, fumoſo, fuliginoſo. Nonnũquam humorum excrementitiorum tranſlatione. Quæ tranſlatio ab infernis partibus ad ſuperiores, ſemper ſuſpecta eſt. Sicut ad inferiores laudatur ab Hippocr. Humorum tamen metaſtaſis in caput, non eſt ſemper lethalis. Natura enim robuſtior facta, humoris impetum interdum comprimit; ac per hemorrhagiam, parotidas, aut alium abſceſſum vel excretionem ſe ſe exonerat. Ita vt quò ſit euaſura eiuſmodi tranſlatio, prædici non poſſit, niſi ex ſuperuenientibus. Ex quibus colligimus, quod de exitu doloris capitis variè ſit prædicendum, provt à variis cauſis pendet, & cum aliis affectibus coniungitur. Nam dolor capitis, ſine febre, cum vertigine & ſonitu aurium, cum vocis tarditate & torpore manuum, finiri ſolet in apoplexiam. Præſertim in ſenibus, in epilepſiam verò in iuuenibus. Dolor capitis cum febre ardente, futurum delirium melancholicum portendit. Dolor capitis pertinax & firmus, cum delirio, feroci aſpectu, rubore faciei, ſuppreſſione alui, quia multam caliditatem & ſiccitatem ſignificat, metum

conuul

conuulsionis & mortis adfert, nisi natura valida humorem morbificum deponat & mitiget, aliquo ex supradictis modis. Qui dolor aliquando in melancholiam & furorem mutatur, cùm scilicèt humor vritur, & substantiã cerebri diluit.

De prog. oculorum dolentium.

CAP. XIV.

OCulorum duplex est consideratio, vna quatenus sunt partes organicę visionis instrumenta, de qua in superioribus actum est. Altera quatenus partibus similaribus componuntur, & morbis similaribus dolorem inferentibus obnoxij sunt. Et quod attinet ad prognosim doloris eorundẽ, sciẽdum est tales dolores esse solere grauissimos, siue fiãt ab humorũ acrimonia, siue à multitudine & crassitie, quib. tuniculę oculorum supra modum extenduntur. (qua de re videndus est Gal. comm. in aph. 30. libr. 6.) & difficiles curatu; quæ difficultas pendet à defluxione, quæ vt plurimùm eiusdem doloris est causa. Non enim facilè reprimitur in principio, ne irruat in oculos, nec sine noxa, duabus rationibus. Primò ratione plenitudinis totius. Non enim vtiliter repellentia vsurpantur, pleno corpore. Secũdò ratione multitudinis, crassitiei, & tenuitatis humoris in oculo contenti. Copia enim & crassities, medicamentis non cedunt.

Tenui

Tenuitas compreſſionem eludit, præterlabitur, & in parte figitur. Tertiò ratione doloris & viſionis. Dolor enim ab adſtringentibus repreſſa materia augetur, viſio periclitatur ab vſu narcoticorum. Miteſcit tamen hic dolor, qui ab inflammatione & humorum copia fit, superueniente diarrhœa, vel arte, vel natura excitata. Hippocra. lib. de vulneribus capitis ſcribit, quibuſdam vulnerato capite ophtalmias ſuperuenire, quæ purgatione conquieſcunt. Idque magis vbi humor acrior fuerit. De quadruplici remedij differentia, quatenus à triplici cauſa manat hic dolor, extat aphor. 31. lib. 6. aphoriſmor.

De prognoſi aurium dolentium.

Cap. XV.

IN doloribus aurium prognoſis inſtituenda eſt adhibita diſtinctione loci, cauſæ & ætatis. Locus doloris, vel eſt in parte externa auris, viſui conſpicua, quam auriculam dicunt; vel interna & altiùs recondita. In illo loco, nunquam magnus dolor fieri ſolet: Et ſi aliquando inuaſerit caret periculo. In hoc contra. Plerunque enim cum periculo affligit, magis vel minùs, ratione cauſæ. Quæ eſt vel flatulētus ſpiritus, non habens exitum, qui membranas diſtendit & diuellit ab oſſe, cum tinnitu & ſtrepitu valido. Vel eſt frigidus & craſſus humor, intimæ auri impa

impactus, vel denique phlegmones. Quæ siue fiat in parte intima, sub dura & tenui membrana, intus ossa ambiente, siue inter crassiorem meningem & membranam quæ prætenditur meatui auditorio, siue in exilibus musculis & vicinis partibus, cum periculo semper affligit ægrum. Nam cùm pendeat eiusmodi inflammatio à tenui sanguine eò irruente per venas interiores meningum, & tandem putrescente, sitq; in parte sensus exquisitissimi; non est mirum si dolores eiusmodi grauissimi & acutissimi dicãtur, & maximè perniciosi: præsertim in iuuenibus: quos dicit Hippocr. in prognosticis, & ex dolore aurium (per dolorem intelligens phlegmonẽ) septimo die, aut adhuc celeriùs interire; ob dolorum & symptomatum vehementiam, in calido & bilioso temperamento, in quo febris ardens cum delirio ęgrum ad mortem pręcipitat ante suppurationem. In senibus verò, non est tantus dolor, nec tam periculosus, propter temperamentum frigidius, quo non tam facilè affectibus calidis corripiantur. Non est tamen priùs de morte pronuntiandum, quàm alia funesta signa coniuncta fuerint: qualia sunt vrinæ crudæ aut confusæ, vigiliæ, deliria, dolor totius capitis, & similia; ex quibus inflammationis cacoëthia colligatur. Augebit certitudinem præsagij virium præter rationem infirmitas. Quoad dolores quos facit flatuosus spi-

ritus, vel humor frigidus & crassus, carent periculo. Per interualla enim repetunt, ac intēduntur & remittuntur, nec habent delirium nec febrem comitem, nec sunt graues.

De prog. doloris ceruicis.

Cap. XVI.

CEruix, pars neruosa prope cerebrum sita, spinalem medullam continens, quæ per neruos partibus inferioribus vim mouendi impertit, nihil mirum si per febres acutas doloribus cruciatur, tam in partibus externis & circumpositis, quæ vertebras ambiunt, quàm internis, propter affectum cerebrũ, aut spinalem medullam, aut ipsas cerebri membranas. Prior dolor prauus non est, nec aliquid mali portendit. Posterior quia ab oppressione partium posteriorum cerebri, & humorum diffusione in spinalem medullam, aut in membranas eiusdem cerebri, pendet, valde perniciosus est, & conuulsionis prænuntius. Ostēdit enim copiam materiæ in cerebro aut malignam qualitatem. Quæ nec à natura euinci possit, nec loco contineri, in eas partes redundans neruos implet, ac spiritui animali præcludit exitum: vnde conuulsio aut paralysis sequi solet. Huius autem doloris prognosis certius erit iudicium si aliæ partes, ad quas neruorum propagatio peruenit, offensum

offensum neruorum principium ostendunt. Cuiusmodi est manuum tremor, dolor cubiti & ad manus vsque descendens, surditas, capitis grauitas, aurium tinnitus, quæ tria posteriora si cum dolore ceruicis coniungantur, comatosi affectus metum adferunt. Si verò cum vigiliis, & sine capitis grauitate, phrenitidem potiùs minantur.

De prog. faucium dolentium.

CAP. XVII.

FAucium nomine laryngem seu extremam partem arteriæ, qua spiritus ingreditur & egreditur, intelligunt; aut illas gulæ partes quæ sub oculos cadunt, ore aperto. Dolent autem fauces, vel sine tumore, vel cum eo. Idq; aut peculiari vitio ipsarum, vt à siccitate & inflammatione laryngis, aut œsophagi, aut musculorum eorundem; aut fit idem dolor per consensum cum cerebro, inflammatione laborante. Priore modo anginæ fiunt, de quibus capite de læsionibus respirationis. Posteriore verò dolores faucium conuulsionem & phrenitidem denunciant. Ex eo enim quod æger cum febre acutissima malè in faucibus afficitur absque tumore, nec ore hianti, aut cùm oscitauerit, facilè tum maxillam reducere, tum os claudere potest, coniicere oportet cerebrum laborare phle-

gmone, ea parte qua nerui in temporales muſculos deducuntur. Qua enim parte cerebrum affectum fuerit, ea neruorum propagines affectæ, muſculos, quibus inſeruntur, mouere non poſſunt.

De prog. clauicularum dolentium.

CAP. XVIII.

DIcuntur clauiculæ aut quòd vniuerſum thoracem claudant, aut quòd humerum & ceruicem concludant. Celſus iugulum appellat, à iungendo, ſoli homini & ſimiis conceſſum. Dolet hæc pars interdum, ſed rarò propria affectione, & ſine periculo. Plerumque ab inflammatione membranæ interioris & vicinæ. Sequitur ſic dolor maximè cum materia pleuritidis; multas membranæ partes occupat, vel ſuperiores, vel inferiores. Dolent clauiculæ maximè & cum maiori periculo, ad tenſionẽ vtriuſque hypochondrij, & inflammationem ingentem hepatis. Et quoad prognoſim. Dolor iuguli, ſi per ſe conſideretur nihil mali portendit. Quatenus verò ſequitur ad inflammationem partium vicinarum, & potiſſimùm hepatis, lethale ſignum æſtimatur, non vt cauſa, ſed vt ſignum. Duo enim ſunt ſigna magnarum inflammationum iecoris. Tumor nempe hypochondrij cum dolore & calore, atque extenſio doloris

ris ad iugulũ. Non enim nisi in magnis inflammationibus gibbæ partis iecinoris, dolor extenditur ad iugulum; & ad nothas costas per consensum mẽbranæ succingentis, & earum membranarum per quas in nonnullis iecur ad costas coniungitur.

De prog. pectoris dolentis.

Cap. IX.

MVltiplex inuenitur apud Hippocr. pectoris acceptio: aliquãdo enim accipitur pro media tantùm parte pectoris, quam sternuum vocant; aliquando pro orificio superiori ventriculi, quod sub cartilagine sterni continetur. Familiare siquidem est Hippocrati, vt notata parte exteriore, interiorem intelligat. Aliquãdo & propriè pro tota parte thoracis. Cuius latera sunt costæ, posterior pars dorsum dicitur. Dorsi verò latera scapulæ & alæ vocantur. Dolet igitur pectus aut cum febre, aut sine febre. Sine febre quidem in lue venerea, iam altas radices agente, non solùm sternum, sed etiam iugulum & omoplatæ dolent dolore pertinaci. Cum febre verò si doleat pectus, in parte aliqua ex interioribus causam doloris contineri necesse est. Cuius doloris prognosticum colligitur; considerata morbi natura, vnde est illius doloris origo: Siue pleuritis fuerit, siue peripneumonia, si-

ſiue alius affectus, in quibus virium robur donat ſemper medico bonam ſalutis ſpem. Poteſt enim dolere pectus cũ febre ſine vlla affectione internarum partium, vt patet in notha pleuritide. Eſt enim pectus sẽſus exquiſitiſſimi, partim propter membranas, partim propter neruos ex ſexta coniugatione cerebri. Etiam propter neruos ab ſpinali medulla coniunctos cerebralibus, vnde particula 59 ſect. 6. de articulis ſcribit Hippocr. Dolores tardius deſinere ex conuulſione ſola muſculorum intercoſtalium, quàm ex fractura coſtæ.

De prognoſi ex dolente dorſo.

Cap. XX.

PEr dorſum eam ſpinæ partem intelligimus, quæ conſtat duodecim vertebris, quibus duodecim coſtæ articulantur, quam partem Latini tergum vocant. Pars ſiquidem eſt poſterior, quæ vniuerſum thoracem comprehendit, quia habet cum eo æqualem longitudinem. Cuius proprij & peculiares morbi ſunt, tubercula magna, dura & diuturna, quæ circa vertebras oriuntur; & cùm in tumorem ſublata ſunt, ligamenta ad ſe trahunt, & per ligamenta vertebras. Faciuntque tres differentias diſtorſionis ſpinæ. In partem ſcilicèt anteriorem, poſteriorem & ad latus. Accidunt quoque huic parti dolores,

lores,vel fixi vel locum mutantes : fixi quidem ab ictu,casu, refrigeratione, inflammatione spinæ,& membranarum eius,ab obstructione. Locum mutantes, ex humore defluente, vel solo, vel potiùs flatuosum crassum spiritum continente. Quoad autem prædictorum dorsi affectorum prognosim attinet, omnes morbos ex dorso difficiles scribit Hippocr. in coacis animaduersionibus his verbis: Ex dorsi dolore initia morborum difficilia.Et hoc(vt interpretatur Iacotius)duabus de causis.Vna propter sanationis difficultatem. Quia in dorso omnes venæ sunt exiles & angustæ, ita vt humores crassos excipere, & exceptos excernere vix possunt. Nec crudis tuberculis vllum remedium offerri potest. Altera causa est consensus quem habet dorsum non solùm cum partibus inferioribus, quibus neruos distribuit,sed etiã cum principibus,id est,cum thorace & cerebro.Illinc stupores & paralyses partium subiectarum & totius corporis,atque vrinę &deiectionis alui suppressio oritur. Hinc translata ad cerebrum materia, morbus comitialis & alij affectus naturam humoris & partis sequentes:additur etiam spirandi difficultas, quam vel empyema facit,vel vertebrarum dimotio, aut distorsio in anteriorem partem. Quorũ affectuum prognosis,suis locis petenda est.

De prog. lumborum dolentium.

Cap. XXI.

PArtes quæ continentur & continent intelliguntur nomine lumborum. Continentes ſunt partes ſpinæ, quæ abſoluitur quinque vertebris, à nothis coſtis, ad os ſacrum, muſculis ſpinæ ipſius, & præſertim illo qui pſoas ab Hippocrate & Galeno dicitur. Quæ verò partes continentur ſunt, nerui, renes, vena caua, inteſtina, meſenterium, vreteres, vaſa ſpermatica. Partes etiam quæ illa omnia connectunt, vt membranæ, meſocolon, colon, cui continuantur renes. Tot ſunt igitur partes quæ dolere ſolent in lumborum doloribus. Quarum partium dignotio accurata eget diſtinctione; cum qualibet parte affecta, putentur vulgò ſemper renes dolere, facítque hæc diſtinctio multùm ad prognoſim. Conſtat autem multis ſignis: qualia ſunt doloris proprietas, ſitus, contactus, exeuntia, actio læſa, & propria ſymptomata. Exempli gratia: ſi doloris cauſa ſit in renibus, dignoſcitur ex vrinis. Si in muſculis externis, tactu præſſúq; ſentitur. Si in ſpina, ſenſus ſtuporis, aut tremoris, in his partibus percipitur, quæ ex affecto loco neruos excipiunt. Si in membranis, dolor erit extenſiuus, dilacerans & horrificus. Si in inteſtinis, dolor eſt magis fixus & antrorſum inclinãs.

Quoad

Quoad doloris proprietatem: qui pulsatiuus dicitur, fit quidem in partibus quæ sensu pollent, & arteriis refertæ sunt, quoties inflammatione tentantur, non autem in renibus, quia sunt sensus expertes. Dolor autem grauis magis illis aduenit. Confert quoque ad prognosim scire, vtrum doleant cuncti cum febre, aut sine febre. Si cum febre, dolorem esse in renibus, ex eo putandum est: quòd ipsi in ea primùm ac multùm incalescunt, ob viciniam venæ cauæ, & arteriæ: multáque pinguedine obducti cùm sint, calorem febrilem augent & conseruant, adiuuante decubitu in dorsum. Cæteræ partes quæ continentur in lumbis, possunt dolere in febre, quoties inflammantur, aut intemperie calida cum materia laborant. Sine febre dolent lumbi, in suppressis mensibus, aut hemorrhoidibus, modò non sit alia manifestior causa, vt decubitus, labor, calculus, arenulæ, &c. Terminatur igitur lumborum dolor in febribus, aliquando critica excretione per inferiora: victa scilicet materia crassa & tenaci à venis primis, quæ vētri & hepati sunt vicinæ, ad colon intestinum prolapsa. Et hic dolor lumborum à suppressione, alui profluuium solet præcedere: præsertim in febribus intermittentibus, & his quæ habent motus inæquales, id est, quæ inæqualiter tepescunt, & recalescunt. Aliquando in eodem dolore fit recursus materiæ morbificæ ad caput:

præſertim in febre ardente & maligna. Quod peſſimum eſt vt ſignum & vt cauſa: vt ſignum quidem, quia non ſolùm malignitatis humoris & vehementis perturbationis, in vena caua & arteria, certa ſignificatio eſt: ſed etiam naturæ infirmæ, quæ morbo dominari non poteſt. Vt cauſa verò, quia materiæ malignæ tranſlatio à lumbis ad cerebrum, facit varia ſymptomata, provt in varias partes diuariat. Cuius metaſtaſis certiſſimum ſignum eſt, doloris lumborum repentina, & ſine cauſa manifeſta, occultatio. Cui noua in ſuperioribus partibus ſuccedunt ſymptomata. Quod ſi natura in cerebro valens fuerit, larga per nares hæmorrhagia,aut materia ad inferiora deuoluta,profluuio alui,ab omnibus prædictis ſymptomatibus,ægrum liberat. Dolor lumborũ ſine febre, ſi à cauſa manifeſta, vt decubitu, non pendeat, eruptione ſanguinis ſolet finiri,per hæmorrhoides in viris, per menſes in mulieribus. Et maximè ſi ab eiuſmodi conſuetis euacuationibus ſuppreſſis, originem traxerit.

De prog. ab ore ventriculi dolente.

CAP. XXII.

OS ventriculi veteres,ab accidentibus quæ inferre ſolet, cardiam dixerunt. Propter mutuum conſenſum &maximam affinitatem, quam

quam habet cum corde, vt colligitur ex ſcriptis Hippocratis. Et propter id cardialgia, & cardiogmos dicuntur de affectionibus huius partis, non de corde. Cum quo non ſolùm conſentit ventriculus; ſed etiam cum omnibus partibus corporis. Quod oſtendunt varia ſymptomata, quæ ex eius affectibus conſequuntur. Qualia ſunt conuulſio, ſopor, epilepſia, melancholia hypochondriaca, viſa ſuffuſis ſimilia, iactatio, inquietudo, anxietas, ſyncope, ſonus turbulentus, inſomnia, deliria. Quæ omnia cùm vi febris plerumque fieri putentur, ſæpe medico præſagienti imponunt. Notandum prætereà ad præſagium, hanc partem tribus affectuum generibus affligi. Quorum alij ipſius proprij ſunt, vt deiecta appetentia; alij per conſenſum cum vicinis partibus; alij denique ſunt ex his quibus aliæ partes huius conſenſu afficiuntur, vt cor, cerebrum, &c. Dolet itaque hæc particula à morſu, quem facit acrium humorum ad eam partem affluxus. Dolet quoque per interiorum viſcerum inflammationes, & maximè hepatis. Non tamen ad quamuis inflammationem: ſed cùm ita aucta eſt, vt & ventriculum immodicè calefaciat, & bilis calidioris, quæ continenter generatur, aut ſeri cuiuſdam copiam, ad principium inteſtinorum (vnde dolor ſæpè colico ſimilis) tranſmittat. Ex quo ad ventriculum facilis eſt aſcenſus, & ad ſtomachum. Vnde ſemper

cardial

cardialgia, & ſæpè ſingultus oritur. Quæ ſinè pulſu hypochondriorum fieri non ſolent; hanc cardialgiam, ſi perfrigeratio, & leuis exudatio circa frontem tantùm & thoracem, vel per totum corpus, ſine remiſſione febris, ſequatur, lethale eſt. Inde enim & naturæ vehemens oppreſſio, & virium ſumma infirmitas ſignificatur, ab inflammationis magnitudine, quæ inſtar cucurbitulæ totũ ad ſe ſanguinem rapit. Quod ſi vehemens frigus fuerit, virtutem valdè imbecillam eſt coniiciendum.

De prog hypochondriorum dolentium.

Cap. XXIII.

Hypochondriorum nomine latiùs ſumpto, omnia membra intelligimus, quæ ſub partibus externis abdominis continentur: ventriculum nempe, hepar, lienem & ſeptum trãſuerſum. At quoties, vt ait Gal. ſine additione hypochondrium in ſingulari legitur, dextrum intelligi debere, ratione dignitatis, qua alterum ſuperat. Inter notas optimi hypochondrij Hippo. ponit indolentiam, ex qua colligimus abſentiam cauſarum quæ dolorem in illa parte mouere ſolent. Sunt enim, inflammatio, flatulentus ſpiritus, vehemens incendium, obſtructio, reſiccatio, conuulſio, &c. Quarum cauſarum aliquã, ponit ſemper dolor hypochondriorum. Dolet igitur

igitur aut totum hypochondriũ, tam dextrum, quàm sinistrum, aut alterum tantùm, aut omnes partes quæ continent & quæ continentur. Quę distinctio multùm prodest, ad certitudinem prognosis, cùm aliæ aliis, omnes, paucis, periculosiùs laborẽt. Hepar enim dolens & inflammatum, grauius infert periculum, quàm lien, & in hepate magis periculum imminet gibbis inflammatis, propter diaphragma, quàm à parte concaua inflammata, & sic de cæteris est concludendum. Non enim distinguuntur pericula solùm à magnitudinę causæ. Sed etiam à natura partium, atque quo plures partes dolor occupat, eo deterius est, & contra.

Finiuntur autem dolores hypochondriorum excretione critica, vt hæmorrhagia, sudoribus, vomitionibus, alui fluxu bilioso, præsertim si in parte concaua hepatis fuerit inflammatio, sicut quæ in conuexa per vrinas. Finiuntur aliquando suppuratione, quæ per vrinas vel per aluum expurgatur. Terminãtur quoque hi dolores ab inflammatione, ad dolorem coxendiceum, per materiæ ad eam partem translationem.

Communicant enim cum partibus inferioribus, inflammationes hypochondriorum. Finiuntur & morte nonnunquam, quam certo præsagire possumus ex his quæ superueniunt. Refrigeratione nempe partium externarum, cardialgia, exsudationibus, &c. Et tandem quemad

quemadmodum dolores hypochondriorum celeriter generantur, natura infirma, à magna fluxione confertim facta, victa & superata: sic etiam interdum sine vlla manifesta euacuatione finiuntur. Quod quidem signum est, aut materiæ translationis ad nobilia viscera, aut naturam esse superatam nec ampliùs pugnare, aut denique mentem esse læsam: quod omne funestum est & lethale.

De progn. ventris dolentis.

CAP. XXIV.

PER dolorem ventris intelligimus eum qui fit in intestinis, tam crassis, quàm tenuibus, à flatulento spiritu, aut ab acri & mordaci humore intestina mordẽte, aut ab inflammatione & abscessu, sicco stercore, ab intestinis in scrotum descendentibus, à veneno exhausto, à cruditatibus retentis & corruptis. Hic dolor si fiat in crassioribus intestinis, colicus dicitur; si in tenuioribus, ileus appellatur. Et quoad prognosticum, transit aliquando hic dolor in alios affectus; si diutiùs perseueret, nec vllis remediis cesserit, vt in neruorum resolutionem, præsertim in regionibus septentrionalibus; in morbũ articularem, aut comitialem, aut melancholicum; aliquando in hydropem, potissimùm qui dolores ab intẽperie hectica intestinorum originem

ginem ducunt. Parit enim talis intemperies flatus, qui nullis medicamentis cedunt, & hydropem ſiccum efficiunt. per apho. 11. libr. 4. *quibus tormina adſunt, & citca vmbilicũ cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter ſoluatur, in ſiccum hydropa firmatur.* Terminatur denique aliquando in mortem, vt ſi intenſiſſimus ſit, ſi nihil remittatur, aut intermiſſionem habeat, ſi nihil excernatur per aluum, ſi excrementa alui per os excludantur, ſi ſingultus & ſudor frigidus ſuperueniant; vt in voluulo.

De prog. partium externarum & extremarum dolentium.

CAP. XXV.

PArtes externæ aut ſuperiores ſunt, aut inferiores, aut medium corporis occupant. Illa ſcilicèt manus & brachia, tibiæ & pedes, ſolent in febribus dolere, plus minùs, provt cum foco febris magis vel minùs communicant. Pedes enim, genua & ſuræ, per affectus viſcerum, quæ ſunt infra diaphragma magis dolent, manus & brachia, in affectibus thoracis & partium ſuperiorum. Et quod attinet ad prognoſticum, dolere conſueuerunt eiuſmodi partes in febribus; aut à laſſitudine ſpontanea, vnde morbum præſentem aut futurum, aut etiam abſceſſum in articulos colligimus; aut à conuulſione à reſiccatis

ſiccatis neruis, quod eſt funeſtum; aut à materię decubitu, quod vel ſymptomaticè, vel criticè fit. Symptomaticè quidem, à copia & malignitate materiæ: cuius putredo in extremas partes diffunditur, manente foco in corpore. Quod malignum eſt & lethale, ſiue materia recurrat ad partes nobiliores, vbi delirium, aut alia lethalia ſymptomata generat; ſiue non recurrat. Tunc enim tota materia non poteſt in parte excipi: præſertim in genubus, vbi dolores per ſe maligni ſunt, ob doloris vehementiam quæ celeriter vires deiicit, & ob naturam partis affectæ frigidæ & neruoſæ, quæ obſedentem materiam nec totã excipere poteſt, nec exceptam coquere, nec denique coctam commodè excludere. Dolores ſuræ, qui fiunt contractione muſculorum propriorum, à flatu, aut à frigore, non ita mali ſunt: qui verò ab immoderata vacuatione, vt in cholera morbo, non carent ſuſpicione: Dolores ſuræ, qui à materiæ decubitu recurrente ad cerebrum & mentem mouente fiunt, omninò maligni ſunt & lethales. Dolores manuum & pedum, à tranſlatione materiæ criticè facta & cum ſignis ſalubribus, nullũ aliud periculum adferunt præter corruptionem & ſyderationem partis. Tunc enim materia febrilis, relictis partibus interioribus, in manus & pedes abſcedens, caloris natiui interceptione, nigrorem interdum inducit & ſphacelimum.

De

De prog. partium præter naturam calentium.

Cap. XXVI.

AD tactum imprimis attinet perceptio primarum qualitatum, quem maximè deprauat calor præter naturam: qui si in partibus externis fuerit, percipitur tum ab ægro, tum à medico manu admota. Internarum autem partium calor aliis signis manifestatur. Calor febrilis quãuis à natiuo specie non differat, excessu tamen ac proinde vi & effectu ab eo distinguitur. Natiuus enim succos æqualiter temperat, atque ad mediocritatem tum substantiæ tum qualitatis deducit; qui neque mordax est nec molestus tactui: febrilis contrà quem tamen in omnes corporis partes æqualiter diffundi, optimum æstimatur ab Hippocr. Totum enim corpus æquè calere, non maligni morbi signum est, cui nulla interior phlegmone nullúsque cordis vehemens affectus copulatur. Omnibus namque affectibus quibus calor cordis & eius vires opprimuntur, impeditur cor quo minùs & sibi & toti corpori calorem impertiatur. Nec est hic calor præter naturam aliquando sine vtilitate: præsertim in affectibus frigidis, ab humore frigido & crasso. Is enim quamuis extraneus, conuulsionis remedium est, per aph.

26. lib. 2. neruos nãque calefacit & exsiccat, humorem attenuando euaporat, & frigidam atque humidam intemperiem, quæ pituitosi humoris effectus est & causa, ad calidiorem permutat. Sic febris quartanæ calor, ex Hippocr. & Gal. magnis morbis corpus liberat. Futuram enim epilepsiam arcet, quia excessu humoris crudi aut melancholici noxas tollit & accedente rigoris motu, eundem humorem promouet & expellit. Quod si igneus fuerit & perseuerans, quia spiritus vitales resoluit atque humidum partium solidarum educit, calorem insitum extinguere creditur.

De prog. partium præter naturam frigentium.

CAP. XXVII.

SImili modo afficitur sensus tactus à frigore atque à calore, eidémque parem molestiam adfert, si modum excesserit, atque maiora mala aliquando gignit & significat. Sunt enim calor & frigus duo maximè agentia, quorum vnum plerumque ad alterum succedit, in corpore malè affecto: à frigore etenim vehementi, idem effectus qualis ab igne producitur; arefactio nempe, calor ater, mortificatio, &c. Consideratur autem frigus à medico non tantùm vt qualitas agens, sed per comparationem; vnde natiuus calor remissior, frigus esse censetur. Ad

pro gno

prognoſim ergo notandum eſt, ex partibus externis (de earum frigore hoc loco tantùm agitur) alias aliis faciliùs & vehementiùs frigeſcere. Quæ enim natura frigidæ ſunt, celeriùs frigore violantur. Sic partes poſticæ vehementiùs obrigent, quia frigidæ neruoſæ, neruis atque arteriis deſtitutæ. Frigéntque plùs minùs partes externæ & extremæ, prout à fonte caloris cominùs vel eminùs magis abſcedunt, in febribus non intermittentibus, & in intermittentibus, & præcipuè in earum periodis, in dolore intenſo, cum ſudore plerumque frigido, in morſu aut oppreſſione ventriculi, & in perturbationibus criticis. Ex quibus perfrigerationibus aliæ ſunt minùs malæ, vt quæ in periodicis febribus, & quæ in doloribus fiunt; aliæ ſunt etiam vtiles, vt quæ in motibus criticis ſolent euenire, modò omnia conſentiant, & ſequatur excretio: at quæ in febribus acutis contingunt, peſſimæ ſunt, per aph. 1. lib. 7. *In morbis acutis frigus partium externarum malum*. Gal. addit in commentario, non mediocriter malum ſed valdè pernitioſum ſymptoma eſſe. Excitatur enim tale frigus vel à maligna materia quæ æſtu turget, & feruet circa præcordia, vel à magna inflammatione, aut eriſipelate alicuius viſceris, in febre quam aſſodem vocant, vel ab infirmitate virium quæ corporis onus aut vim morbi ferre non poſſunt. Ad prognoſticum etiam vtile eſt ſcire, has perfrige-

rationes; fieri vel priuatiuo frigore vt quando cum ſanguine calor ab extimis partibus ad interiores reuocatur, vt in magnis internarum partium inflammationibus: vel poſitiuo; vt cum calore inſito extincto & reſoluto, refrigeſcunt prædictæ partes, vt in moribundis accidit. Solent etiam prædictæ partes in febribus aliquando alternatim modò recaleſcere modò refrigerari: Idque celeriùs vel tardiùs, prout citiùs vel ſeriùs noua materia colligitur, in qua vincenda plus minùs fatigatur natura. Quæ mutationes in vtramque conditionem, in acuta malignáque febre, mortem in propinquo ſignificant; in minore morbo, longitudinem tantùm.

De prog. partium ſiccatarum & humectatarum præter naturam.

Cap. XXVIII.

HVmiditas & ſiccitas ſunt etiam qualitates ad tactum pertinentes, quæ quia non ſunt actiuæ per ſe, nec cauſæ efficientes, ſenſum illum non multùm deprauant, nec eidem multùm moleſtæ ſunt. Ex his tamen de exitu morbi poteſt medicus quicquam certò pronuntiare. Humiditas enim quæ eſt mater putredinis, grauedinem & hebetudinem, reſolutionem, ſegnitiem

tiem & mollitiem in toto corpore parit: aliquando in incremento febris, à malignis interiorum partium inflammationibus contracto ad interiora sanguine & spiritu: aliquando in fine acuti morbi, cùm calor natiuus languescit & extinguitur; vnde Gal.ad sententiam 13. primi prorrhet. scribit. Segnitiem commune esse symptoma eorum omnium qui moriuntur, propter dissipationem spirituum & extinctionem virtutis.Siccitas,quia lentę est actionis per se parum tactui molesta est: coniuncta autem cum calore vrente à quo generatur, dolorem facit. De ea multa dicuntur in genere. Quatenus nempe eius est duplex acceptio in medicina. Siccum enim in morbis dupliciter vsurpatur, aut pro excessu siccæ intemperiei, aut pro affectu in quo nihil per loca conuenientia excernitur. Sic febres siccæ & morbi sicci, qui in venis & arteriis versantur, quæ ex linguæ siccitate, totius corporis squalore, & sudoris absentia cognoscuntur. Quatenus etiam eius est duplex in corpore generatio Fit enim alteratione, aut resolutione. Alteratione quidem alimenta, medicamenta, siue assumpta siue admota desiccant.Calor febrilis etiam ardens, ariditatem parit. Resolutione autem desiccant, quæcunque faciunt corpus plus resolui quàm nutriatur.Quorum alia sunt externa,vt nimia exercitatio,mora in sole,longa vigilia,&c. Alia in-

na;vt calor febrilis ingens, calor natiuus debilis non potens præ debilitate coctionis ne minimum quidem eius quod consumptum est, restaurare. Ad prognosim prætereà vtile est scire, præ siccitate, primò laxari cutem & subsidere in spacia inania; quia primùm alimentarius succus ex sanguine & spiritu dissipatur. Faciliùs enim partes aereæ & tenuiores exhalant. Deinde tendi, indurescere, & contrahi, vt corium ad ignem, aut lignum exiccata medulla, torquetur. Hanc duritiem si perfrigeratio sequatur, funestum æstimatur per aph. *perfrigeratio cum duritie lethale.* Cuius rei talis est demonstratio. In humido primigenio est humor tanquam materia, anima tanquã forma, & calor tanquam instrumentum, vnde Gal. tribuit coctionem partibus solidis. Quo fundamento posito: Caloris extinctionem sequi necesse est, cui succedit refrigeratio, quæ restitui non potest. Cùm igitur in acutis mollior cutis & laxior apparet, posteà verò tenditur & arescit, cum pallore defectu sanguinis, & frigore, resoluto calore, ídq; perseuerat; colliquationis & mortis proximæ certissimum est signum; etiamsi calor coniunctus sit: Is enim oritur à feruore humorum putrescentium, non à calore proprio ipsius partis siccæ, tensæ, & duræ. Item siccitas partium internarum vel externarum diuturnitate morbi contracta, minùs est periculosa; ardore autem

igneo

igneo facta, lethalis. Siccitas gulæ & œsophagi à resolutione,& eius musculorum ingenti exiccatione (vnde deglutiendi potestas tollitur) putatur valdè lethalis ab Hippocr. multis in locis. Siccitas & durities in fronte inter signa exitiosa numeratur, ab Hippocr.in prognosticis. Tabescit enim facilè cutis frontis musculosa, vel veriùs musculus cutaceus, quia caro tenuis. Quod est signum perfectæ extenuationis, exhausto humido primigenio partium solidarum & non solùm disiectis spiritibus.

De prognosi sensus grauitatis ac leuitatis totius & partium corporis.

Cap. XXIX.

SEnsus leuitatis & grauitatis ad tactum quoque pertinet; à quibus duobus aliquid prognosis in morbis colligere licèt.Ex leuitate quidem in bonam partem semper; ex grauitate in malam. Quemadmodum enim ex multo spiritu naturali,integra facultate animali, expeditũ corpus redditur ad motum, & æger alacrior in assurgendo,& figuram decubitus mutando. Ita his exolutis,cum intemperie cerebri aut cordis, corpus proiectum, graue, torpidum, & quasi plumbeum iacet, lethali signo, & natura fatiscente. Grauitatis igitur duplex est causa; vna humoris multitudo & sarcina; altera facultatis

infirmitas & reſolutio, vel interceptio, quæ membrum ſurſum mouere non poteſt. Sentitur autem grauitas in interioribus, ſicut in exterioribus partibus. In illis dum cumulatur copia crudórum humorum, vt in his qui ſe cibis impleuerunt: aut dum ſentitur viſcus ſuſpenſum, vt vacuata aqua in hydrope, vel hepate in maráſmo retorrido languente, aut vbi tumoris contenti pondus à tunica obuoluente quæ ſenſu prædita eſt percipitur. In externis verò partibus ab humorum copia, vt in plethoricis, vel cachochymicis; aut vitio facultatis retentricis. Grauatur etiam totum corpus à feruente in venis ſanguine, qui venas diſtendit, propter plenitudinem & vapores, in ſynochis febribus. Et quoad prognoſim, grauitas ſi contingat ineũte morbo, oppreſſionem omnium virium ſignificat, àut grauem intemperiem partium principum, & viſcerum nobiliúm, quod exitiale eſt. Inde enim ægri fiunt graues & impotentes proiecto corpore, præſertim manibus & pedibus. Modò non ſit cauſa in peculiari vitio muſculoſi generis.

De prog. duritici & mollitiei totius & partium.

Cap. XXX.

MOllities & durities, quæ ſunt etiam qualitates tactiles, humiditatis & ſiccitatis in corpore

corpore humano, ſunt certiſſima ſigna. Quo enim membrum mollius eſt, eo eſſe humidius putat Gal. 1. de temperamentis; & quo durius eo ſiccius. Quod de ſanis eſt intelligendum. In ægris enim mollities non ſemper ſignificat mēbrorum humiditatem, quod in cachecticis & ſenibus eſt manifeſtum: in quibus quidem mollities tactu deprehenditur, propter copiam pituitoſi alimenti, in poris membrorum contenti, à frigiditate morbida hepatis, aut ex ſenio, minore facta alimenti ſanguificatione, tametſi partes ſolidæ exareſcant. Quæ humiditas quemadmodum vitioſa eſt, & in malam ſemper partē accipitur: ita ea eſt laudabilis quę æqualis per totum ſparſa; in qua neque mordicatio neque ſcabrities vlla tactu percipitur, ſed humidum blandumque exhalat. Sicut enim calor humido potentior exurit, & magis exardeſcit, quia humore non temperatur; ita humidum calore ſuperius extinctionis & putrefactionis eſt cauſa. Durities pariter modum excedens, non ſolùm tactum offendit, ſed etiam à quacunque cauſa fiat ſemper in malam partem accipi ſolet: Siue à vehementi & violenta refrigeratione, ſiue ab exiccatione, ſiue à cōcretione originem habeat. Durities in acutis morbis & febribus ardentibus ac colliquantibus, à reſiccatione & tenſione pendet. Calor enim febrilis attenuando, reſoluendo, exurendo, exiccat, & indurat:

(vsta enim duriora) idem facit euacuatio manifesta,& latens colliquatio, modò peruenerit ad humidum primigenium partium solidarum. Cuius signum est tensio : sic in phrenitide, ingenti furore,cum tremore, cum voce clangosa, lingua conuulsa, durities perniciosa & lethalis habetur Hippocr. Et maximè si cutis in fronte tensa, dura, & scabra sit. Fit enim à resolutione spiritus,sanguinis & humidi primigenij:propter immoderatam eam,quę in cerebro facta est,siccitatem & marcorem , vt anteà dictum est. Hunc squalorem & siccitatem frigus sequitur necessariò,ab extinctione; quoniam caloris pabulum & vehiculum , humor est : igneus enim calor quicquid humoris est,absumit & conficit; vnde extremæ partes,quæ natura sicciores sunt, faciliùs & celeriùs resiccantur. Quemadmodum ergo corpus æqualiter molle , vtramque duritiei causam,vehementem nempe refrigerationem ab extinctione caloris , & partium solidarum extremarum siccitatem ab incendio febrili,abesse declarat:ita durities tensa,scabra & squalida, ac perseuerans, prædictas causas præsupponit, & lethalis est. Huc pertinent quæ dicuntur de asperitate , quæ cùm sit vehementis siccitatis effectus , à calore igneo omne humidum depascente, eandem habere creditur causam,quam durities prædicta.

De

De prog. à pruritu.

Cap. XXXI.

Sensum tactus deprauari in pruritu, constat ex eius definitione. Nihil enim aliud est quàm molestus & tristis sensus, à nitrosis salsis vel mordacibus excrementis, in superficie factus. Gal. pruritum duplicem facit; vnum cum mediocri morsu, & sine dolore; alterum cum vehementi mordicatione & cum dolore: vnde colligimus varium esse humorẽ qui pruritum facit. Aliquãdo enim crassus est, salsus, & nitrosus: & tunc squammas & vlcerationes, modò albicantes si pituitosus sit, modò rubentes cum flauitie si biliosus, modò nigricantes si atrabilarius fuerit. Quod si humor qui ad cutem protruditur, tenuis admodum fuerit, sola cuticula attollitur, vnde sudamina vulgò dicta apparent. Fiunt autem pruriginosa corpora in scabie, psora, lepra, potissimùm (vt ait Gal.) verno tempore; quoniam aëris calor verè subit vicem exercitationis, atque è profundo corporis humores euocans, ad cutim educit. Fit etiam pruritus in febre, interdum criticè & natura sese expurgante: Quod deprehenditur, si inde sequatur alleuatio & symptomatum remissio, & si alui excrementa pura, nec nimiùm biliosa videãtur. Fit quoque pruriginosum corpus, in ta-

bidis,

bidis, ab erodente ſanie & corrupta, feruore cordis ebulliente, à centro ad cutim exhalante. Vbi vi adaucti morbi, & ſymptomaticè pruritus & puſtulæ excitantur: quod prauum eſt vt ſignum & vt cauſa, maximè ſi cum vrinæ acrimonia perſeueret. Significat enim copioſum ipſum humorem eſſe, & perennem eius generationem. Eſt etiam eiuſmodi pruritus cauſa maioris atrophiæ, vigiliarum & febris. Præſertim ſi aluus ſupprimatur, per aph. *pruriginoſa corpora poſt ſuppreſſam aluum in tabidis malum.*

De prog. ſumptis à læſionibus actionum motricum,

PRAEFATIO.

QVamuis motus dicatur aliquando lædi illæſo ſenſu: vna tamen & eadem eſt facultas, quæ & motum & ſenſum operatur, authore Gal. libr. de cauſis ſymptomatum. Quod putat accidere, quia minùs influit virtutis, quàm vt ſufficiat ad mouendum, tantum abeſt vt valeat ad ſentiendum. Læditur autem in vniuerſum mouendi operatio multis affectionum generibus, quorum alij eandem omninò tollunt, alij minuunt, alij peruertunt & deprauant. Eorum autem hæc ſunt ſymptomata. Paralyſis, conuulſio, tremor, palpitatio, horror, rigor, ſingultus, tuſſis, ructus, ſternutamentum, pandicu-

latio

latio, & oſcitatio. Quæ omnia quatuor generibus motus deprauati comprehenduntur. Concuſſiuo ſcilicèt, conuulſiuo, tremulo & palpitante. De quibus Gal.cap.1. & 2.lib.5.de cauſis ſymptomatum, horum motuum quædam ſunt à cauſa morbi tantùm, vt conuulſio, paralyſis, palpitatio. Quædam etſi ſint ſymptomata, à facultate tamen aliqua earum, quibus corpus gubernatur, proficiſcuntur; huiuſmodi ſunt rigor, horror, ſingultus, tuſſis. Propterea ex motibus iis alij ſunt compoſiti ex voluntario & naturali, etſi vtuntur duplicibus inſtrumentis, vt videre eſt in ventris exoneratione, & in mictione: ille enim à fibris tranſuerſis inteſtinorum, & à muſculis abdominis fit; hic à fibris & muſculo ceruicis: alij ſunt merè voluntarij; vt reſpiratio, cuius nulla ſunt inſtrumenta præter diaphragma & muſculos alios reſpirationi dicatos: alij verò ſunt merè naturales, à cauſa præter naturam excitati; vt rigor, horror, &c. De quibus motibus lege plura apud Gal.libro citato.

De prog. diminutæ, vel abolitæ mouendi operationis.

Cap. XXXII.

MOuendi operatio diminutè læditur in ſtupore, abolitè in paralyſi: quæ quia ſecundùm magis & minùs tantùm differunt, quæ de vno dicuntur, de altero poſſunt intelligi: ſtupor

ſtupor enim ſiue torpor parua paralyſis quædam eſt; cuius etiam aliquando eſt prænuntius: cum eo coniungitur grauitas: cuius cauſa duplex eſt, humoris nempe multitudo, ac facultatis infirmitas & reſolutio, vel interceptio; quæ ſurſum membrum attollere non poteſt. De ſtupore igitur ſic prædicendum, vt ſi dolor acutus ei ſuccedat, minùs periculoſus putatur. Tunc enim fit humoris frigidi conſumptio, vigente bile, vt in phrenitide poſt lethargum. Stupor autem dolori acuto & calido affectui ſuccedens, lethalis eſt: teſtatur enim reſolutionem facultatis & caloris natiui extinctionem.

Paralyſis ſiue paraplegia, ab iiſdem quibus ſtupor fit cauſis, grauioribus tamen: in ea enim pars motu omninò priuatur, ſiue neruorum ſubſtantia humore aliquo eluatur & molliatur, ſiue facultatis cõmeatus, in totum nerui ductũ, ab aliqua cauſa obſtruente, impediatur. Quæri ſolet vtrùm paralyſis à bile fieri poſſit. Poſſe quidem experientia & ratio conuincunt: viſi enim ſunt ægri in paralyſim incidiſſe, effuſa bile in ſpinam dorſi & neruorum origines, ſub finem febrium intermittentium. Ratio in promptu eſt: quia bilis attenuat craſſos humores, quorũ ipſa eſt vehiculum, facitque vt ad eaſdem origines craſſi ſucci facilè influant. Non poſſe tamen, hæc ratio adfertur: nam propter acrimoniam humoris nerui vellicati, ipſam bilem priùs

à ſe

à ſe excutiant, quam diutiùs morari & obſtruere ſinant. Ad prognoſim eſt ſupponendum, paralyſim nunquam in alios morbos tranſire, imò omnes alios frigidos in eam tranſmutari poſſe: Sequitur enim à debili apoplexia: in eam etiam tranſit colicus dolor: cum pituitæ morbum efficientis portio, ex capite diſtillans in neruos diuertit. Paralyſis ergo morbus nunquam acutus, curabilis, vel incurabilis aut curatu difficilis eſt: Provt à variis cauſis pendet, diuerſis ætatibus contingit, & pro ſymptomatibus quæ superueniũt. Nam quæ à nerui inciſione oritur, incurabilis eſt; ſicut quæ ex inciſionibus trãſuerſis ſpinalis medullæ, & quæ ex magna luxatione vertebræ, & quæ ab apoſtemate; poſtemate confirmato, quæ verò à gãgręna lethalis. Paralyſis quę non prorſus motũ abſtulit, quę in vigẽte adhuc ætate contingit, vbi membra diuturnitate temporis nõ ſunt extenuata, ſalutaris eſt. Hæc enim ſignificat calorem adhuc in membrum peruenire, qui concoquat & aſſimilet. Sic membrum reſolutum, ſi incipiat ſentire, magnam ſalutis ſpem prębet: priùs enim reſtituitur ſenſus quàm motus. Paralyſis in ætate ingraueſcente, ſanationis exiguam præbet ſpem, in decrepita nullam. Paralyſis cui ſuperuenit febris aut tremor, curari poteſt; quæ verò à febre non ſoluitur, incurabilis eſt. Paralyſis cui ſuccedit apoplexia, incurabilis eſt. Paralyſis in qua membrum vel minuitur,

minuitur, aut eius color immutatur vix vnquã poteſt curari.

De prog. deprauatæ motus arbitrarij actionis.

Cap. XXXIII.

DEprauatur motus voluntarius conuulſione, epilepſia, tremore, pandiculatione & oſcitatione: Fiunt enim beneficio muſculorum. Non tamen vno & eodem modo in omnibus afficitur hoc genus motionis. Conuulſio enim habet vt plurimũ dolorem comitem, quo carẽt reliqui omnes motus. Conuulſio igitur (quæ definitur vt ſit partium, quæ motu voluntario mouentur, ad ſuum principium, inuoluntaria & præter naturam contractio) vel permanens eſt & ſine motu conſpicuo; vt quæ ab humore neruos implente ac diſtendente fit; & quæ à ſiccitate contrahente, humido ſcilicet primigenio vel à calore reſiccato, vel à frigore concreto: aut cum crebro motu & interrupto, à morſu & vellicatione partium neruoſarum, aut violenta contenſione, & labore, qualis conuulſio inter vomendum ſæpe contingit.

Variè igitur eſt ex conuulſione præſagiẽdum, pro variis circunſtantiis: vt ea ſit minùs periculoſa, quæ repentè fit perfrigeratis neruis, vt in hæmorrhagia; quæ à repletione & materiæ paucæ motu, vt in pueris (qui ob neruorum infirmitatem,

tatem, conuulſionibus facilè corripiuntur) ſi vires valent, & materia transferatur. Quæ fit per conſenſum, vt affecto vtero in hyſtericis, ventriculo vellicato, acrimonia medicamenti, aut æruginoſę bilis, ſi aut vomitione, aut deiectione excludatur. Conuulſiones quæ in febribus fiũt, ſiue præcedant, ſiue ſequantur, abſolutè lethales dici non debent. Hæ enim (vt ſcribit Gal. commentario in ſent. 14. 1. prorrh.) periculum quidem ſemper minantur, ſpem tamen ſalutis non adimunt. De præcedentibus extat aph. 26. lib. 2. *Satius eſt febrem ſuperuenire conuulſioni, quàm conuulſionem febri.* De conuulſione quæ febri ſuperuenit, eſt ille aphoriſmus in coacis: *Conuulſio in febre mota febrem ſoluit eadem die, aut certè altera, vel tertia.* & aphor. 57. lib. 4. *Spaſmo aut tetano febris ſi acceſſerit, morbum ſoluit.* Conuulſio igitur cui ſuperuenit febris, quia à repletione fit, eadem curatur: tum quia ſuperfluam digerit humiditatẽ: tum quia frigiditatem coquit. Quæ verò præ copia, aut in caput verſa materia fit conuulſio, maligna eſt & periculoſa. Lethalis tamẽ nondũ eſt, niſi aliis grauibus caſibus coniungatur; ſed ea quæ ardore febris, ſiccatis neruis, aut immoderata vacuatione fit, mortalis omninò eſt. Quę autem febri ſuperuenit, ſi curari debet, à frigida materia craſſa & viſcida fieri conuenit. Quæ materia, violenta motione quam facit conuulſio, concalefacta, tenuata, inciſáque, partim

euaporatur & exhalat,partim ſudoribus excluditur. Pari ratione, quartanæ rigor epilepſiæ medicina eſt : ſicut febris conuulſionem aliquando ſoluit:vt enim motus, ita febrilis calor, commouet,tenuat,incidit & diſcutit.

De prog. epilepſiæ.

Cap. XXXIV.

EPilepſia ſymptoma eſt,quo non ſolùm functiones animales internæ & ſenſibiles abolentur;ſed etiam motrices omninò deprauãtur. Siue quod infeſtat in cerebro localem habeat generationem,ſiue ab ore ventriculi,aut aliqua ignobili parte oriatur. Tot enim ſunt epilepſiæ differentiæ, & quemadmodum apoplexia fit, cum humor vniuerſam cerebri ſubſtantiam replet,aut ipſius cerebri & ſpinalis medullæ meatus intercipit; ita cum ventriculi eiuſdem cerebri, à motu & qualitate humorum, aut à maligna qualitate commouentur, generatur epilepſia. Differt autem ea quæ per eſſentiam fit, ab ea quæ per conſenſum:quòd in illa acceſſiones vehementiores ſunt & diuturniores : in hac concidunt ægri ſine vehementi conuulſione, & per interualla tantùm, breuibúſque quibuſdam motibus quatiuntur. Ex ſupradictis, iunctis his quæ epilepſiæ ſuperuenire ſolent ſymptomatibus, licèt prognoſim colligere, vt ea ſit periculoſior,

losior, quæ per essentiam fit, præsertim si fuerit inueterata. Ea enim commoriuntur ęgri, nisi superueniente febre quartana curetur: ex 6. epid. aut partu in prægnantibus, quo tamen antiqua non tollitur. Minimè periculosa est quæ ab ore ventriculi: sicut quæ per consensum alterius partis efficitur, faciliùs curatur. Epilepsia, cuius paroxismi cum vehementi conuulsione sunt, sine interuallis, aut cum breuibus, in qua longis motibus ægri concutiuntur, lethalis est. Epilepsia quæ magnitudinem, & malum morem ostendit exitialis est. Sic respirationis difficultas, (quam sublimem spiritum appellat Hippo.) Item stertor superueniens vehementi paroxismo, & diu perseueranti, à quo æger non releuatur. Item accidentia apoplectica periculosam epilepsiam ostendunt. Tales enim epileptici ne in paroxismo moriantur, periculum est; & maximè, si sternutamentis & aliis remediis nihil iuuentur, atque detersa sępius spuma, redit. Epilepsiæ etiam magnitudinem ostendit seminis deiectio, stridor dentium, clamor, aurium tinnitus, atque finita accessione non recordari, nec factorum pudore moueri. Sicut paroxismi breuitas, accidentium paucitas, & supradictis contraria, facilem & salutarem declarant.

De prog. tremoris.

Cap. XXXV.

DEprauati quoque motus arbitrarij ſymptoma eſt tremor. Fit enim cùm inſita grauitate membrum delabitur, facultas verò imbecillior id nequit erigere nec robuſtè exporrigere. Tunc enim pugna quadam grauitati reſiſtit facultas, vt tantum in ſublime attollat membrũ quantũ id ſuo pondere deorsũ fertur. Vnde ſenes facilè tremunt: tum quia virtute animali, & neruis infirmioribus præditi ſunt, tum quia habent corpus graue & terreum. Vna eſt igitur generalis cauſa tremoris. Facultatis nempe animalis imbecillitas, quæ grauitati membri liberè dominari non poteſt. Particulares autem multæ ſunt: vna eſt oppreſſio à multo humore, vt in his qui iniuſto onere opprimuntur. Secunda agitatio aut reſolutio, aut ex vniuerſo corpore ad cor, vel ad cerebrum, ſpirituũ reuocatio, qui ſpiritus membra erecta continebant, vt in iratis, timore perterritis, animo deficientibus. Tertia eſt intemperies partium neruoſarum, vt in vini nimio vſu marceſcentibus. Quarta eſt extinctio facultatis motricis. Confert ſupradicta diſtinctio multum ad prognoſim, ſicut quæ à morbi temporibus ſumitur. Nam tremor in principio morbi, ab oppreſſione

cum

cum delirio, poteſt contingere. Ex quo tamen mortem pronuntiare certò non poſſumus, vt contingit ægroto primæ ſectionis libri tertij epidemij, qui ſuperſtes euaſit. Tremor autem qui ſuperuenit morbis pernitioſis & progreſſo iam morbo viribúſque collapſis, mortem in propinquo denuntiat. Conſequitur enim tunc hoc ſymptoma, ad ſolas & vehementiſſimas phrenitides. Phreniticis enim neruorum infirmitatem, propter affectionis ſiccitatem ineſſe, affirmat Gal. commentario ad ſententiam 9. primi prorrhetici. Tremor omnis à cauſis externis, & à ſubita in affectibus animi ſpirituum collectione, minùs eſt periculoſus. Qui verò à refrigeratione & intemperie partium neruoſarum fit, ſicut in ſenibus, incurabilis eſt, & ad mortem vſque comitatur.

De prog. à pandiculatione & oſcitatione.

Cap. XXXVI.

GAl. cap. 5. libr. 1. de ſymptomatum cauſis, pandiculationem & oſcitationem numerat inter ſpecies motus deprauati: illa enim nihil aliud eſt, quàm alarum, brachiorum, & aliquando crurium extenſio: hæc verò oris quaſi coacta apertio. Vtriuſque eadem eſt cauſa, eadem pars affecta: in vtroque enim muſculi quadam deliberatione dilatantur, vt flatibus crudis

exitum præbeant: fiunt enim propter flatus copiosos eleuatos ab humoribus pituitosis, vel à multitudine cibi ingesti replentis neruos & musculos, inducentis in eis lassitudinem quandam, siue laborem spontaneum extensiuum, quem membra neruosa sentiunt, sensatione quadam naturali. Concurrũt enim in hoc symptomate, naturalis facultas membrorum, compressione inutilia expellens, & animalis. Extenduntur igitur musculi illi & mouentur, vt quod molestum est expellant. Quod contingit præcipuè post quietem & somnum, præsertim in his qui habent crudos succos, & qui se cibis nimiũ impleuerunt, vt dictum est. Et quoad prognosim, pandiculatio & oscitatio, si præter consuetudinem multiplicentur, repletionem humoralem immediatè significant, & febres putridas mediatè. Vapores enim & flatus eleuantur à materia semicocta vel cruda & indigesta. Quæ nisi à calore naturali vincatur, sed putrescat, fiet antecedens & coniuncta causa febrium putridarum aut aliorum morborũ, nisi præcaueatur necessariis euacuationibus.

De prog. à lassitudine.

Cap. XXXVII.

LAssitudo est etiam musculosi generis affectus: in ea enim graue pigrúmque corpus, si

commo

commoueatur, ſentit æger vel tenſionem moleſtam, vel perinde ac ſi multis partibus compungeretur, aut configeretur, aut inflammaretur totum corpus, aut denique quaſi confracta oſſa haberet. Ex quibus colligimus laſſitudinem eſſe triplicem, tenſiuam nempe, à plenitudine; vlceroſam à cachochymia: & inflammatoriam, ab vtroque: quæ laſſitudines, ſi ab externa cauſa dependeant, vt à motu multo & vehementi, absolutè & ſimpliciter tales dicuntur: ſi verò citra eam contingant, cum adiectione ſpontaneæ laſſitudines appellantur, per aph. 5. li. 2. Habet aliquando laſſitudo iunctam anxietatem. Quod ſignificat tantam eſſe materiæ, vel quantitate, vel qualitate, vel vtroque modo peccantis, copiam, cum virtutis imbecillitate, vt viſcera opprimat, & in partes inter muſculos & articulos ipſos redundet.

Eſt etiam horror cum laſſitudine aliquando coniunctus, ita vt ægri cùm vel minimum mouentur, vel ſi non moueantur quidem, quaſi pungi, aut tendi, aut oſſa dolere conquerantur. Quod à motu humorum, per ſenſibilia corpora proficiſci, exiſtimandum eſt, potiùs quàm à flatuoſis, aut halituoſis excremẽtis. Sequitur nonnunquam laſſitudo ex rigore, quod fractas in pugna vires oſtendit. Quibus præmiſſis de laſſitudine ita prædicendum, vt ex ea in febribus laborioſis cum dolore capitis, lumborum, hy-

pochondrij,ceruicis,ab externa cauſa,vt motu, itinere, æſtu, ſolet, nihil quod ſit certum ſumi poſſit. At ſi abſque cauſa manifeſta & externa, laſſitudo & dolor prædictas partes prehenderit, prognoſis ab his ſymptomatibus colligitur, quæ oſtendunt humorum motum, & impetum in has vel in illas partes, nam materiæ redundantis copia,in plethora, aut cachochymia,diffluit in multas partes vel debiles, vel vicinas, vel nobiles,vbi calore febrili turgens,minùs reprimi poteſt. Omnium autem laſſitudinum,vlceroſa paratiſſima eſt ad materiæ tranſlationem in caput, propter bilem acrem, calidam, & tenuem.

De prog. ab anxietate & inquietudine.

Cap. XXXVIII.

PArtium mouentium, id eſt muſculorum, anxietas ſeu inquietudo pariter eſt. Anxios vocat Gal. commentario in ſententiam 44. ſecundi prorrheteos,qui nullam decubitus figuram facilè ſuſtinent, eandémque ſæpè mutant, quia præſens eſt ſemper moleſta. Duplex eſt autem anxietas. Vna critica,quę fit in ea perturbatione,quæ antecedit repentinam motionem, in qua ægri iactantur, ſeſe erigunt, dilatant,& exæſtuant grauiùs ſolito, criſi imminente. Altera ſymptomatica, eáque duplex:vel enim his contingit

tingit quibus eſt in ventriculo propria quędam humoris qualitas,& maximè in eius tunicis immerſa,cum nauſea,ſiue vomitu:vel excitatur vi & malignitate morbi,ab acri ſcilicet materia & maligna, æſtu turgente, & feruente, circa præcordia; aut ab inflammatione inſigni alicuius viſceris,aut eryſipelate,vnde febris aſſodes, aut denique ab infirmitate virium, quæ corporis onus,aut vim morbi ampliùs ferre non poſſunt. Ex quibus colligimus cauſam proximam anxietatis eſſe humorum & ſpirituum agitationem, quam facit vel motus criticus,vel affectus ventriculi cum nauſea,vel æſtus febrilis ad extimas vſque partes peruadens, vel denique ægri mollities.His ſuppoſitis:prognoſis ex anxietate facilis eſt collectio : vt ea non valdè mala ſit quæ fit ob malè affectum ventriculi orificium,ſicut nec illa quæ apparet in vigore criſium. Non enim perſeuerat,nec vi adaucti morbi commouetur, ſed vomitu aut deiectione conquieſcit.Nam,vt ait Gal.loco citato,interdum corporis extrema promptè refrigerantur, cum anxietate, non ob morbi malignitatem, ſed ob malè affectũ ventriculi os,ex intempeſtiua victus ratione, *ob longam inediam*, quæ ventrem humoribus acribus replet, vel propter cibum intempeſtiuè exhibitum,quo grauatur vẽtriculus. Altera autem inquietudo quæ ad malignas febres ſequitur,pernitioſiſſima eſt, tantóque deterior, quanto ex-

tremorum aut totius corporis refrigeratio maior coniuncta est, de qua est aphorismus in coacis, *quæ cum refrigeratione anxietates incidunt, pessimæ.*

De prog. à decubitu & forma iacendi.

CAP. XXXIX.

QVemadmodum inquietudo, sic forma decubitus ad genus musculosum spectare dicitur. De quo decubitu agere consueuerunt medici duobus modis: aut enim quærunt in genere quo situ tum ad suauitatem, tum ad coctionem dormiendum sit dormituro, aut quo modo iacentem ægrum deprehendi à medico oporteat, quo tempore eum inuisit. Ita vt talis decubitus, non ex composito, neque de industria factus videatur. Sunt autem decubitus tres figuræ, quas Hipp. describit primo prænotionũ, & in coacis. Duæ extremæ prorsus absurdæ, & vitiosæ: vna in excessu, qua supra modum contrahuntur membra; altera in defectu, in qua proiiciuntur & extenduntur: inter has, naturalis quædam, & beneualentium propria est, in mediocritate vehementis contractionis, & immodicæ proiectionis artuum & spinæ. Qua figura etiam non cogitantes cubare solemus, in qua tria concurrere debent: Decubitus nempe in alterum latus, erectum ac constans corpus, non

non prolapſum ad pedes, & moderata totius corporis reductio, id eſt, ſpinalis medullæ & quatuor artuum. Quæ figura decubitus, opinionem facit robuſtæ facultatis animalis, quæ corpus per muſculos firmat, & qui ita decumbit, ſpiritũ ducit ex facili. Cùm igitur medicus cubantem ægrum deprehenderit tali figura, duo colliget: robur ſcilicet facultatis animalis & abſentiam doloris in ventre, atque reſolutionis vel conuulſionis in neruis. Et hæc eſt forma quam probat Hipp. eodem loco, & hoc aph. *Decubitus optimus eſt veluti qui ſanis ſolitus fuit.* Reliquę omnes ſpecies ſiue ad pedes ſit decliuus decubitus, ſiue in ventrem, ſiue ſupinus, ſiue inflexis ſupra modum & naturalem figuram articulis, aut nimium diductis, in malis habentur, quia aut viriũ fractarum & facultatis animalis reſolutæ, aut conuulſionis & delirij ſunt ſignificationes. Priùs quàm tamen medicus ex his præſagiat, de conſuetudine debet interrogare. Nam ſi æger eo decubitu iacere ſolitus ſit, qui nihilominus videatur abſurdus, non protinus vt malum ſignum damnandum eſt, quoniam quodcunque conſuetum eſt, vim morbi præſentis non ſequitur, nec quicquam confert ad præſagium. Vnde Hippocrat. decubitum damnat in ventrem, cum diſtinctione, vtrum nempe æger in ſecunda valetudine, ita decumbere conſueuerit, an non; & in ſumma eſt hoc hac de

re in

re in vniuerſum concludendum,vt omnes motus aut decubitus abſurdi, qui neque conuulſione, neque conſuetudine, neque dolore, aut alia manifeſta cauſa fiunt, ad delirium referri debeant.

De prog. ex ſomno præter naturam.

Cap. XL.

QVia ſomnus definitur vt ſit animalis facultatis, quæ in ſenſu & motu poſita eſt, beneficio muſculorum, requies. Iure optimo inter affectus,quibus eiuſdem facultatis operationes læduntur, numeratur. Cuius tres differentiæ inueniuntur apud Hipp. Naturalis videlicet,præter naturam,& criticus. Naturalis dicitur: cùm calor natiuus per vigilias reſiccatus, copioſam requirit humiditatem,& ideò in ventrem & viſcera tanquam ad alimentum conuertitur.

Præter naturam, cùm idem calor foras progredi non poteſt, vt in comatoſis & lethargicis affectibus. Sicut per phrenitidem quaſi inflammatus, foras mouetur immodicè. Prohibetur autem eo motu calor multis de cauſis. Interdũ propter humiditatem multam eius partis in qua fit ſomnus: interdum ob ſolùm frigus, vt in vſu narticorum: nonnunquam ob vtrumque ſimul,

ſimul, vnde profundus ſomnus, & comatoſus. Impeditur quarto ob virtutis imbecillitatem & extinctioni proximam, vt in moribundis, qui palpebras non poſſunt attollere: fit denique ſomnus turbulentus ac tenuis in quo ægri interdum clamant, & exiliunt ac perterrentur à tetris vaporibus, aut humore putri & bilioſo, aut acri aliqua exhalatione.

Somnus criticus dicitur, vel qui ſignum criticum eſt, vt ante parotidas, vel qui criſim optimam facit, aut indicat. Spiritus enim animales inſtaurat & colligit, calorem febrilem extinguit, moderatè humectando & refrigerando, natiuum auget, cerebri temperiem reſtituit, & humoris morbifici reliquias concoquit, & diſcutit. De quo extat aph. in coacis, *ſomni profundi neque turbulenti firmum iudicium ſignificant.* Profundum intelligit longum ſomnum; à quo, quia nulla eſt obſtructio quæ ſpirituum delationem, & liberum motum impediat, facilè excitari ægri poſſunt. Quantum ad prognoſim ſomni præter naturam attinet, nihil ex eo de morbi exitu certò poteſt pronuntiari. Nocet tamen ex euentu initio acceſſionum: eo enim tempore ſomnus calorem vniuerſum, & humores, in intimos corporis receſſus cogit, vnde materia cruda & vitioſa caput & ventriculi orificium replet, pauorémque mouet & laborem facit; facitque vt febres ægrè ad vigorem perueniãt, & adfert

& adfert diuturniora ſymptomata. Nihil tamen reformidandum ſignificat, multò minùs mortem. Nocet pręterea in inflammationibus internis, humoribus vnà cum ſanguine in ventrem confluentibus, qui & affectum augent, & ob copiam mitificari non poſſunt. Prodeſt autem ſomnus & vtilis eſt in declinatione acceſſionũ, vel in remiſſione morbi.

De prog. ex vigiliis.

CAP. XLI.

PErtinent quoque vigiliæ ad ſenſum & motum: ſicut enim per ſoporem torpet totum corpus, & eius ſenſus & motus diminutè lædũtur, ita per vigilias deprauantur. Eſt autem vigilia duplex, ſicut & ſomnus. Vna naturalis, pendens ab effuſione facultatis animalis ad exteriora, quæ effuſio eſt ſecundùm naturam, cùm non excedit terminum ſuum. Altera præter naturam, in qua excedit illa effuſio, dicitúrque vigilia ſuperflua: cuius cauſa eſt cerebri intemperies calida ſicca, & caloris natiui exiccati, & quaſi inflammati, immoderata foras agitatio, atque vitioſæ exhalationis copia. Fiunt etiam vigilię vt plurimum à triſtitia, vnde facies cadaueroſa, & extenuatio totius corporis. Fiunt quoque vigiliæ febricitantibus, ante criſim, quam ſignificant futurã (ſi ante ea non fuerint)

circa

circa ſtatum contingentes,cum anxietudine repentè obortæ. Tunc ſanè perturbationis criticæ ſigna ſunt:non tamen ſpeciem criſis oſtendunt. Fiunt denique poſt criſim, quam imperfectam fuiſſe ſignificant, & recidiuæ ſignum ſunt certiſſimum: vt enim nox quæ criſim antecedit, moleſtior eſſe ſolet,ita quæ ſequitur quietior & ſuauior,cum profundo ſomno eſſe debet. Indicant enim hæ vigiliæ prauam cerebri intemperiem relictam, & acrem ex materia morbifica euoparationem. Quantùm ad prognoſim vigiliæ perpetuæ,quia ab intemperie calida & ſicca, & ab exhalatione acri ac bilioſa originem ducunt, quia ex continuatione cauſæ quam fouēt & augent,perſeuerant,phrenitidē prænuntiant, comitantur, & augent, bilioſiore facto ſanguine; atque conuulſionem à ſiccitate faciunt malis ægri rebus, per aph.18. lib.7. *Propter vigiliam conuulſio,aut deſipientia,malum.*

Súntque tales vigiliæ peſſimæ, vt cauſæ & vt ſigna.Cauſæ enim ſunt cruditatis,& reſiccationis totius bilioſi ſanguinis, delirij & reſolutionis virium. Signa verò ſunt doloris, delirij & conuulſionis. Deſinunt aliquando vigiliæ in comata. Fiúntque ægri ex vigilibus comatoſi, duabus de cauſis;aut reſoluta bile & euaporata, quæ vigiliarum cauſa erat, manente, vel bilem ſuperante pituitoſo humore, qui humectat ac diluit cerebrum;aut reſoluto calore natiuo à febrili,

brili, & inde perfrigerato cerebro, quod eſt lethale accidit enim in febribus peſſimis.

De prog. à palpitante motu.

Cap. XLII.

ET ſi palpitatio omnium membrorum, quæ diſtendi, & rurſus in ſe ſidere poſſunt, ſit affectus, quia tamen partibus neruoſis & muſculoſis plerumque contingit, de ea inter affectus qui motum muſculorum deprauant, agere viſum eſt. Accedit quod propter ſimilitudinem, quam habet cum tremore, inter morbos capitis numeratur à nonnullis. Eſt itaque palpitatio, motus præter naturam omnium partium (vt dictũ eſt) quæ dilatari & conſtringi poſſunt, factus à flatulentis ſpiritibus incluſis, & exitum non habentibus. Generatur itaque motus palpitationis in muſculis & neruoſis partibus, quoties aliquis vapor in eorum ſpaciis occultis, aut manifeſtis, ſtabulatur, cui exitum quærenti, via occluditur. Cuius prognoſis, loci diſtinctione, morborum quibus ſuperuenit magnitudine, atque ſuperuenientibus ſymptomatis, limitatur. Quæ enim palpitatio toti corpori fit, epilepſiam aut tetanum prænuntiat: illam ſi ad cerebrum, hunc verò ſi ad muſculos anteriores & poſteriores capitis materia feratur. Palpitant muſculi hypochondriorum ſine periculo. Palpitant imæ

præcor

præcordiorum ſedes cum periculo delirij, præſertim ſi ab inflammatione magnæ arteriæ, iecoris, diaphragmatis, aut alicuius partis principis fiat. Palpitatio perſeuerans in facie, oris torturam minatur. Palpitatio perſeuerans in peritonæo, nuntiat vel epilepſiam, vel melancholiam per conſenſum. Palpitatio febribus acutis ſuperueniens, quia ab acrimonia fuliginis febrilis, & in qua per alia ſymptomata caput affici appareat, metum adfert phrenitidis, aut conuulſionis. Palpitio quæ frequentiùs in morbis diuturnis fit, & aliquam earum partium quæ ſunt circa vmbilicum occupat, multam pituitæ excretionem cum egerendi conatu, vt in teneſmis, portendit.

De prog. à ſternutatione.

Cap. XLIII.

EX quatuor generibus motus præter naturam, quibus ægri torqueri ſolent, reſtabat concuſſiuus, cuius ſpecies ſunt, ſternutatio, tuſſis, ſingultus, vomitus, horror, rigor. Qui non muſculorum quidem ope, ſed ſola natura impellente & laceſſita, fieri dicuntur. Sternutatio igitur, quæ facultatis naturalis vigentis in cerebro opus eſt, definitur vt ſit fortiſſima & ſonora cerebri concuſſio, qua per vehementem fla-

tus expulſionem, ex pulmone & capite, expellere nititur quod moleſtum eſt, naribus,oſſibus ethmoidibus,& parte cerebri anteriore. Cauſa autem irritans, vel externa, eſt, vt penna in nares immiſſa, radij ſolares,&c. vel interna, vt tenuis & acris humor in coriza & diſtillationibus, aut ſpiritus flatuoſus in cerebro contentus, qui diſtentionem faciens, cauſa doloris eſt. Quam cauſam irritantem vt cerebrum à ſe depellat, geminam adhibet expirationem: vnam, quam per ſe facit per oſſa ethmoidea; alteram per nares,neruis(vt ait Gal.in aph.51. lib.7.)ſeu manibus prælongis in thoracem demiſſis, vtens, & ſpiritum vnico impetu ex pulmone & capite vehementer & confertim emittens: in quo conatu non ſolùm quæ in cerebro continentur, ſed etiam quæ in ventre & gula, ſingultus cauſa ſunt, expelluntur. Atque in mulieribus grauidis, compreſſis & contentis muſculis abdominis, fœtus & ſecundinæ loco dimouentur. Quoad prognoſim. Prodeſſe dicitur ſternutationis motus,& obeſſe diuerſis rationibus. Prodeſt quidem cocta & victa materia in caro, lethargo, ex Gal.libro de inſtrumento odoratus, in paralyſi,paraplegia, epilepſia,comate. Tunc enim quia & mucoſa excernuntur & ſpiritus flatuoſi,coctionis argumenta nota ſunt,& cerebri facultatem expultricem robuſtam eſſe demonſtratur. Prodeſt etiam in febribus cocta

materia,

materia, in partu difficili, in ſuppreſſione puerperiorũ, in hyſterica affectione,&c. Nocet verò in cephalalgia, cruda materia, capite, excremẽtis pleno, & vrgente diſtillatione, in copia bilioſorum excrementorum: eo enim motu augentur & perturbantur. Obeſt multum in omnibus pulmonum affectibus, ſiue præcedant ſiue ſequantur, eò quòd pulmones agitando, ſolutionem continui in eis augeat: eos enim, vt omnes alias partes quæ laborant, in quiete retinere expedit. Sternutationem denique non cieri in morbis capitis per erruia & acria medicamenta, lethale eſt: ſignificat enim extinctionem caloris in cerebro. Denique, ſicut ſternutatio bona eſt procedente morbo, & poſt coctionem in omni affectu; ita in principio mala: catarrhi enim futuri ſignum eſt.

De prog. rigoris.

Cap. XLIIII.

RIgor ſpecies motus concuſſiui definitur, vt ſit perfrigeratio dolorifica & confertim facta cum inæquali concuſſione, & agitatione totius corporis. Cuius ſubiectum eſt calor innatus: eſt enim rigor caloris innati affectus, qui variam cum morbi materia pugnam iniens, modò reſilit intro, modò foras exilit: atque vi-

ciſſitudine motuum cõtrariorum & vehementiorum, totum corpus concutit. Calor autem qui hic læditur, eſt influens, pura quidem qualitas; læditúrque vel ſecundum qualitatem à frigido in rigore, vel ſecundùm ſubſtantiam & motum: quia aliquando accidit, vt per ſanguinis & ſpirituum recurſum ad interiora, ſuffocetur à copia, & priuetur altero motu qui fit intro foras. Fit autem rigor aut in ſanis, aut in ægris: in ſanis plethoricus dicitur; híſque fieri ſolet, qui ſe multis craſſis & frigidis cibis impleuerũt; qui ſi à larga vini potatione contingat, nec ab eo recaleſcat æger, lethalis iudicatur: ſignum enim eſt, aut naturam ſuffocari, aut vias caloris & ſpirit⁹ intercipi, vt inde vita extinguatur. Sed initio huius de rigore diſcurſus, notandum eſt nomine rigoris, horrorem etiam intelligi. Cum vtriuſque ſit vnum & idem ſubiectum, & vno ac eodem modo fiant. Differunt enim ſola magis & minùs ratione: rigor enim à multa mordacíque materia, cum violenta corporis concuſſione fit; horror verò à pauciore & minùs mordaci, cum ſolius cutis mitiore agitatione. Vtriuſque cauſa humor prauus, in venis calefactus, qui cùm ad excluſionem feſtinat, per habitum corporis ſenſibilem, has motiones adfert. Sentitur autem frigus in rigore, quamuis ſit à materia mordaci, tum quia rigor incipit potiſſimùm à lumbis, per dorſum, quæ partes frigidæ ſunt;

ſunt; tum quia reuocatione caloris cum ſanguine & ſpiritu ad partes interiores, totum corpus alget. His ſuppoſitis, dicamus rigorẽ ægrorum eſſe triplicem, periodicum nempe, criticũ, & ſymptomaticum. Periodicus fit in his febribus, in quibus tempus intenſionis & remiſſionis diſtinctum cernitur (& hoc eſt quod periodum ſeu circuitum appellamus) quæ febres typicæ dicuntur; quarum cùm ſint plures ſpecies, habent quæque ſuum proprium & peculiarem rigorem. Rigent enim tertianæ cum ſenſu punctionis, & magna cõcuſſione. Rigent quotidianæ cum minore & ſine punctione, ſed multo longiore rigore, niſi materia multùm attenuetur. Rigor paruus eſt in quartanis, initio acceſſionis, vt potiùs horror dicendus ſit, cum perfrigeratione: in augmento horror magnus eſt cum magno dentium ſtridore, & magna concuſſione, muſculoſis membris à craſſis vaporibus humoris melancholici irritatis. Commune eſt autem omnibus iis rigoribus, vt incipiant à partibus poſticis. Primò quia (vt paulò ante dictum eſt) frigidiores ſunt, & ideò in perfrigerationibus à rigore priùs frigus ſentiunt, & ab eo magis cruciantur. Secundò quia partes ſunt neruoſæ, & ſenſus exquiſitiſſimi. Tertiò quia partes ſunt denſæ, ideò cauſam rigoris diutiùs retinentes. Rigores verò partibus anterioribus non incipere, in cauſa eſt earum caliditas, quam de-

monstrat earum raritas, sicut hæc ab hirsutis demōstratur: posticę enim omninò sunt glabrę.


Rigor criticus est qui in febribus tertianis, acutis, & continuis fieri solet diebus imparibus, & maximè die septimo; cuius hæc sunt signa: Primum est, omnium excretionum coctio manifesta & perfecta, die prænuntio apparens. Secundum crisis succedens die critico. Tertium est morbi species & mores eius sine malignitate. Quartum signum in doctrina Hippocratis maximè considerandum est, vrinarum retentio paulò ante crisum; serosis scilicet humoribus aliò conuersis ad excretionem. Qui rigor, si hominem absolutè liberat, perfecta erit crisis; sin minùs, sed tantùm quodammodo ægrum leuat, imperfecta. Rigor symptomaticus est, qui nunquam vi naturæ, nec bonis ægri rebus fit, sed in perniciem eum semper inducit. Vi enim semper adaucti & maligni morbi efficitur. Quod symptoma sequitur, aut partis alicuius interioris inflammationem, quæ in suppurationem abit; aut ad cacochymiam vasorum, quam natura tentat excludere, sed non potest. Estque hoc iudicatorium non iudicans, vel lethale: aut si inde æger remissius habet, morbum difficilis iudicij ostendit. Nocet autem hic rigor quatuor modis: Primùm, vehementi concussione, corpus infirmū facit: Secundò, perfrigeratione (quæ est symptoma natiui caloris languentis) actiones

actiones tum animi, tum corporis labefactat: Tertiò, quia materiæ intrò recursu, & in nobiles partes translatione, varia & perniciosa symptomata inuehit: Vnde in coacis animaduersionibus numerantur rigores soporiferi, stupidi, cum ignorantia aut obliuione: Solet enim rigor qui citra euacuationem excitatur, vt plurimùm materias secum ferre in caput: Quartò, quia nouo feruore concepto, febrem auget, ad hanc speciem rigoris, referri potest ille, qui primæ inuasionis dicitur. Solet enim in primo insultu febrium continuarum contingere. Horum omnium rigorum extant multi aphorismi apud Hippocr. Periodici quidem aph. 63. lib. 4. *Quibus febribus certo die rigores repetũt, eodem febres soluuntur.*

Rigoris crisis perfectæ, aph. 58. lib. 4. *Si febre ardente laboranti rigor superueniat, solutio fit.* Rigoris crisis imperfectæ, aph. 29. lib. 4. *Febricitantibus, si sexto die rigores fiant, iudicationem habent difficilem.*

Rigoris symptomatici, aph. est 46. lib. 4. *Si rigor febre non intermittente ægrum iam debilem inuadat, mortiferum est.* Et hæc de læsionibus actionum facultatis animalis sufficiant.

Finis lib. 1. Ad laudem Dei.



DE PROGNOSTICIS QVÆ SVMVNTVR AB AFFECTIBVS VITALES actiones lædentibus.

LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO.



VITALIS facultas (cuius cor, primum viuens & vltimum moriens, principium est) per arteriarum substantiam ad omnes corporis partes influens, vitæ omnium functionum est conseruatrix. Animali enim materiam, id est spiritum ad obeundas functiones necessarium, subministrat: naturali, calorem cum spiritu, cuius influxu singulæ partes recreantur, sicut sublunaris mundus solis præsentia. Ad hanc facultatem pertinet vis pulsifica & respirandi, quarum vnus & idem vsus esse creditur. Conseruatio

nempe

nempe caloris natiui, & vitalis ſpiritus refectio. Alterantur etenim pulſus, & reſpiratio à ſimilibus cauſis, ſimiliter: animi perturbationibus ſcilicet, vt ira, inambulationibus, comeſſationibus; & in ſumma, quæcunque vſum permutando, permutant reſpirationem, permutant & pulſum, & ad eaſdem differentias magnitudinis, celeritatis, crebritatis, aut contrariarum. Non videtur tamen tāta eſſe pulſus neceſſitas, quanta reſpirationis, cuius vſu ne momento quidem vita carere poteſt; quod tamen de pulſu non verificatur. Nam ſi ligatis arteriis brachium priuetur pulſu, cor nullam noxam ſentiet, brachium tardiſſimam: hanc difficultatem ſic diluit Valeſius, quanquam ſi duo motus eoſdem vſus præſtent, non tamen eidem membro ſimiliter præſtare certum eſt: quod enim reſpiratio præſtat cordi ſoli, hoc pulſus præſtat omnibus membris reliquis; quæ vt minori calore indigent, ita tardiùs læduntur. Sunt itaque huius facultatis duo potiſſima munera, pulſus ſcilicet & reſpiratio; quorum vtrumque cordis conſtitutionem teſtatur, ſed pulſus magis: cuius operatio diminutè, abolitè & deprauatè læditur. Diminuitur quidem & perit in animi deliquiis, in ſyncope, & in pluribus cardiacis affectibus, ſiue per primariam affectionem cor lædatur, ſiue per conſenſum. Deprauatur in omnibus inflammationibus pulmonum & partium

thoracicarum, in omnibus febribus,in palpitatione cordis,&c.De quibus ſigillatim agẽdum.

De prog. à ſyncope.

Cap. I.

DIminutè igitur læditur vis pulſifica in lipothymia ſeu animi deliquio, abolitè in ſyncope. Differunt enim tantùm ſecundùm magis & minùs. Contingit namque illa leui de cauſa etiam in ſanguinis miſſione, in qua animalis facultas tantùm deiicitur, & vis pulſifica diminuitur. Syncope autem fit ex cauſa grauiſſima, in qua non ſolùm pulſus extremè rarus & obſcurus eſt,& ſæpiùs nullus:ſed etiam ſentiẽs, & mouens facultates ferè deſtruuntur. Definitur enim præceps virium lapſus, in quò imæ partes frigent, tempora,ceruix,& thorax,frigido ſudore madent, facies pallet,totumque corpus quaſi eneruatum iacet,mens omníſque ſenſus deficit. Eſt autem ſyncope cordis affectus, ſiue in conſortium mali celeriter adducatur affecto ventriculi ore,in ſyncope ſtomachica; aut vtero laborante, in præfocatione vteri ; ſiue per primariam ipſius affectionem laboret, vt cùm vulneratur,aut humore intra pericardium contento mouetur,aut cum inflammari incipit. Ex quibus colligimus ſyncopem eſſe duplicem, cuius cauſa proxima & immediata conſiſtit in impe

impedimento affluxus sanguinis,spiritus,& caloris è corde, in vniuersum corporis habitum: cuius impedimenti quatuor assignantur causæ: Prima est obstructio vasorum: Secunda,sanguinis, spiritus & caloris paucitas: Tertia est eiusdem sanguinis, caloris & spiritus reuocatio ad cor, vnde suffocantur interdum, & intereunt ægri, vt de quibusdam legimus apud Aulium Gellium: Quarta causa est impuritas seu mixtio alienæ materiæ,spiritui & calori natiuo contrariæ: quæ vel extrinsecus aduenit, vt in tempestate pestifera, per aerem in propria substantia corruptum, aut tetra exhalatione infectum, aut etiam ab his quæ in corpore existunt contra naturam,vt assumpto veneno,ab aura venenata & corrupto semine, in mulieribus viduis, hystericis. His suppositis prognosis erit talis, vt à deliquio animi, quia à leuiori causa fit, facilè resurgant ægri:à syncope verò, quia à grauiori (est enim sæpiùs malignorum morborum symptoma) difficilè, imo vt plurimum lethalis est æstimanda.Et eò magis quò plures sequentium circunstantiarum habuerit,nempe si difficulter releuetur æger, & cùm redierit ad se, pulsu careat,aut exiguum, aut vix apparentem habeat; si color viuidus non redeat; si frigeant membra vehementer,& calor non reuocetur; si syncopem antecedant crebra animi deliquia, dum lecto assurgit æger,dum caput attollere nititur;

Si sen

ſi ſenſus hebetentur; ſi crebrò cum palpitatione accidat ſyncope; ſi denique ſæpè, vehementer & ſine cauſa manifeſta, fiat. Qui enim ita exanimantur derepentè moriuntur, per aph. 41. 2. *Qui ſæpè & vehementer ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, derepentè moriuntur.* Exitioſa etiam ſyncope æſtimatur, quæ corpore crudis ſuccis referto, & primaria cordis affectione, generatur; ſicut ſalubrior eſt quæ per conſenſum.

De prog. palpitationis ſeu tremoris cordis.

CAP. II.

QVæ de palpitatione in primo libro ſcripſimus, ſunt generalia: quæ hic de ea dicuntur ad eam quæ cordi accidit tantùm pertinet, quæ nihil aliud eſt quam ſymptoma motus deprauati pulſatilis cordis. Vel eſt motus cordis ipſius (quem cardiogmum verum appellant) ſimilis palpitationi. Differt enim motus palpitationis à pulſatili. Cùm alius ſit affectus in quo pulſus cordis redditur tantùm celerior, vel tardior moderato, alius per quem totum viſcus tremulè concutitur; conatur namque eo motu expellere quod noxium eſt. Siue ſit aura venenata, aut teter vapor opprimens, ſiue aquæ magna copia in pericardio collecta, quæ, cor ipſum ne moueatur impediens, palpitationem mouet: ſiue cordis intemperies aliqua, vel obſtructio, & ſpiri

& ſpirituum interceptio, vel paucitas. Ex quibus cauſis viribus inſigniter deiectis syncope, atque etiam mors interdum ſequi conſueuit. Accidit etiam quandoque palpitatio eiuſmodi per ſe, ſine alio manifeſto accidente, per ſanguinis feruorem. Qualis ſæpè conſpicitur adoleſcentibus & adultis. Cuius ſingulare remedium eſt ſanguinis miſſio, cum victu attenuante vt teſtatur Gal. cap. 1. libr. 5. de locis affectis. Et quoad prog. certum eſt palpitationem quæ ſequitur oris ventriculi imbecillitatem, vel eius nimis exquiſitum ſenſum, potiùs quàm cauſæ ipſius magnitudinem, minùs periculi habere. Ea verò quę primigenio cordis affectu facta eſt, nulla cauſa manifeſta externa aut interna præexiſtente cognita, valde pernitioſa iudicanda, tum aliàs, tum in febribus ab intemperie, vel ab inflammatione, vel eryſipelate: cordis enim ſolutiones, inflammationes, intemperies malignæ, citiſſimè hominem de medio tollunt.

De prog. deprauatæ actionis pulſificæ per febres.

Cap. III.

DEprauatè læditur vis pulſifica, aucta potiſſimùm pulſandi neceſſitate, quod nullo magis affectu fieri conſueuit, quàm in febribus. Quarum cùm ſint multa genera, de earum pro-

gnoſticis

gnoſticis hoc loco duntaxat agemus, quæ in præſagiendo ſagaciorem medicum requirunt, cuiuſmodi ſunt febres vertiginoſæ,ſingultuoſę, colliquantes,comatodes, diaphor eticæ,erraticæ,malignæ, ſyncopales,tiphodes, triteophiæ, aſſodes, nocturnæ; de quarum præſagiis nonnulla hoc loco ſcribere decreuimus. Si priùs quaſdam regulas poſuerimus,quibus febris natura & motus quæ præcipuam vim habent in præſagiendo)ſignificatur. Primùm enim conſideranda eſt morbi ſpecies, num ſcilicet febris bilioſa ſit,pituitoſa, atrabilaris, vel mixta,additis tempore anni, ætate, temperatura, & ſimilibus. Secundò acceſſionum circuitus,an paribus vel imparibus redeant, an eodem tempore progrediantur, vt in ſynochis. Nam exacerbationum anticipatio, aucta vehementia, & celer motus qui fit in diebus imparibus, breui futuram criſim prænuntiant: ſin lentè moueatur morbus, eadem mora recrudeſcat, & ſingulis diebus,diuturnus futurus eſt. Tertiò coctiones & coctionum mutationes diebus iudicibus, vt quarto: quæ enim in meliùs mutantur, ſequentibus diebus criticis, hominem liberatum iri denuntiant,& contrà. Quartò conſiderandum num febris ſit primigenia in humoribus, an ſymptomatica, partis alicuius princips phlegmone obſeſſæ, aut corruptæ;quod hæc ſæpiùs interficiat,tametſi lenta aut ſine vllo graui ſymptomate

promate videatur. Hoc etiam prænoſcendum eſt in febribus continuis, periculum imminere ab inflammatione, aut maligna putredine, aut materiæ in nobiles partes tranſlatione, quę alioqui extra venas à partibus nobilibus reiicitur facilè, natura ſcilicet valida & recreata per intermiſſionem acceſſione ipſa multo longiorē.

De prog. febris vertiginoſæ.

CAP. IIII.

VErtigineum hoc loco conſideramus quatenus eſt ſymptoma febribus ſuperueniens, de quo præſagiendum eſt adhibita diſtinctione. Vel enim vertigo in febribus diutiùs permanet, atque per totum morbum ſimul cum febre ipſa ægrum exercet: vel initio, morbo mite exiſtente, & ſine vertiginis vlla moleſtia: aduentante autem criſi, & circa eam, dum magna fit in corpore perturbatio, aduenit. Priore modo vertigo, ſi ab oppreſſione ventriculi ortum non habet, ſed vel in capite localem habet generationem, vel in venoſo genere, bile fermentante pituitam, vel in aluo aut pulmone, lethalis putatur ab Hipp. præſertim ſi cum ileo ægrum cruciet, per aph. *febres vertiginoſæ cum ileo & ſine ileo lethales.* Poſteriore modo, febris vertiginoſa medium tenet inter morbos planè mortiferos

tiferos & ſalutares: nam omnis ſpiritus flatuoſi generatio, turbationem indicat, cum tumultuoſis ſymptomatis, à materiæ contumacia, & caloris natiui media quadam affectione, inter ſummum langorem & robur. Humores enim diſſoluere, & quodammodo liquare poteſt, reſoluere minimè. Quod morborum genus, initio lene, circa criſim vehementem turbationem in corpore facit, eámque periculoſam, ancipitem & lubricam, per ſe tamen lethale non eſt ab initio. Fiunt enim vertigines, & alia ſymptomata, cùm natura nec vincit, nec vincitur: ſed tandem iudicationes abſoluuntur, aliæ ad ſalutem, aliæ ad mortem. Vtrum autē horum venturum ſit, oſtendunt alia ſigna, vt vrinæ, &c.

De prog. febris ſingultuoſæ.

Cap. V.

FEbres non dicuntur ſingultuoſæ, ab omni ſingultu, ſed ab eo tantùm, qui diutiùs permanet, vel etiam per totum morbum, ſimul cum febre ingraueſcit, nec quicquam remittit: eo enim modo verè febris ſingultuoſa appellatur. Singultus autem ille qui fit vel oppleto ventriculo & oppreſſo, aut eius orificio qualitate cōmorſo, vt à pipere ingeſto. Qui ſicut ſine febre excitatur; ita facilè ſoluitur. Febris verò ſingultuoſa,

tuosa, quæ causam habet inflammationem hepatis, lethalis est, per aph. 17. libr. 7. *propter iecoris inflammationem singultus malum*, præsertim quæ magna est & maligna, vt Gal. interpretatur in comment.

De prog. febris comatodes.

Cap. VI.

FEbres à symptomate comatodes appellatæ, ex genere semitertianarum & intermittentium sunt, sicut & continuarum. In illarum accessionibus, soporosus aliquis affectus incidere solet, non quidem simpliciter malus, sed per accidēs noxius. In acutis autem febribus ac morbis calidis & siccis, vt phrenitide, febre ardente, nisi salutaribus signis priùs apparentibus sub iudicium incidat (qualis est sopor priùs quam parotides exurgunt) exitialis est. Perfrigerati enim cerebri & vitiosis vaporibus pleni ac calorisnatiui extinctionis est signum.

De prog. febris colliquantis & diaphoreticæ.

Cap. VII.

FEbres colliquantes & diaphoreticæ dicuntur in quibus non modò spiritus & humores, sed etiam carnosæ animalium partes absu-

muntur,humidum primigenium intra primum quaternarium exſiccatur ; in qua febri hæc tria concurrunt:infirmitas facultatis retentricis totius habitus corporis : humores bilioſi , tenues & acres : & febrilis calor, qui ignis inſtar obuia quæque depaſcitur. Nam propter infirmitatem illam , ſemper aliquid extra cutem vacuatur, quod propter paruitatem, oculis cerni non poteſt, effluẽtibus nimirum tenuibus humoribus: febris autem tenuiſſimos humores magis abſumit, craſſos verò extenuat , adeò vt nulla mora vacuationi interponatur.Quemadmodum fieri ſolet ab immodicis vacuationibus , ſenſu deprehenſis: tales ſunt febres prædictæ colliquantes, & diaphoreticæ , quandam peſtilentem naturam habentes. In qua colliquatione ita reſoluitur corpus , vt facies illa cadauerosa Hippocraticè ſępè euadat,& ſqualeſcat,ſquabreſcatq; corpus,ac ſi in maraſmodem inciderit, omninò funeſtum & lethalem.

De prog. febrium malignarum.

Cap. VIII.

FEbres malignæ dicuntur Hippocrati illæ, quæ malè moratæ ſunt, & maleficæ,quibus ſæua & horrenda ſymptomata contingunt,malignæ ſunt etiam,in quibus ægri fallaciter & inſidiosè

ſidiosè laborant, cùm tamen moderatè habere videantur: tales ſunt quibus humor deleterius & veneno ſimilis generatur, per corruptionem propriæ ſubſtantiæ, aut malignus per aduſtionem bilis vel ſanguinis: cuius excretionem natura non aggreditur, donec copia aut malignitate aucta, grauiùs ſæuientem, huc atque illuc exturbare cogatur, vnde ſubitò lethalia ſigna eduntur, etiam his qui antè ſani putabantur, vt docet Gal. com. in ſent. 17. 2. prorrh. huius generis febrium ſunt etiam in quibus ex antecedente morbo, aut latente obſtructione, vel putredine, vel viſceris interioris corruptela, humor prauus, & ſanguis corruptus in pręcordiis exaggeratur. Quam corruptelam natura valens & robuſta, quandiu poteſt ſuſtinet, aut in pãcreas, aut in meſenterium corporis veluti ſentinam, deponit; vbi tractu temporis putreſcens, tãdem febrem lenem initio excitat, ſine ſtatis periodis, quæ medicos plerumque fallit: quorum opinione celeriùs de medio tollitur æger, vt mortem quàm periculum citiùs deprehendant. Nam oborto leui dolore lumborum, aut ventris cum horrore inconſtante, modò ſubito venter intumeſcit, modò nigra vomitione redduntur, aut per aluum ſubeunt: quod à medicis in operibus artis exercitatiſſimis plerumque obſeruatum eſt. Tales ſunt quoque febres quæ diebus criticis, naturæ certantis nullum ſignum exhibent,

quòd extinctioni proxima ſit aut maximè infirma. Tales etiam ſunt in quibus bilioſi humoris & crudi craſſique ſucci ſpecies miſcentur, quibus ſemitertianæ (peſſimum morbi genus) ſuperuenire ſolent,& ardentes quædam, à crudo ſucco, qui in progreſſu temporis, acrimoniam & malignam putredinem acquirit. Ineunte enim morbo, quia bilis feruor pituitæ permixtione miteſcit acrimoniáque retunditur, aut putredo nondum magna eſt, moderata omnia apparent: accedente autem incremento, aut circa ſtatum, vehemẽtia morbi & ſymptomatũ necopinatò præripiuntur ægri, facta in venoſo genere fermentatione à calore præter naturam. Huius generis ſunt febres peſtilentes, quas deſcribit Gal. 6. epid. in quibus extremum corpus tangenti neque valde calidum apparebat, neq; pallidum, ſed ſubrubrum, liuidum, phlictenis paruis & vlceribus efflorefcens, interna vrebantur: ita vt neque valdè tenues veſtes, neque linteorum iniectiones, neque aliud quippiam vel nudi tolerarent. Tale denique eſt genus febris quod deſcribit Hipp. in coacis prænotionibus, in quo initio vrinæ tenues conſpiciuntur, cum vertigine & pulſatione arteriarum in temporibus, quæ circa febtis ſtatum & incrementũ repentè tanquam è latibulis inſurgit, cum turbulentis ac periculoſis ſymptomatis: quorum motus atque impetus, quò pertineant non facilè

facilè intelligi poteſt. Prædictarum igitur febrium quia aliæ aliis ſunt ſæuiores, vehementiores & maligniores: ideò quædam ſunt mediæ inter ſalutares & pernitioſas, aliarum verò certa eſt mortis prænotio.

De prog. feb. æſtuoſarum quas Hipp. aſſodes appellat.

Cap. IX.

AEſtuoſæ & implacidæ febres dicuntur, in quibus ægri grauiter afficiuntur, ſomno turbulento, qui laborem facit, cruciantur, in quo ſomno ęgri inter dormiendum abſurda loquuntur, exclamant, & ſomno excitati deteriùs habent. Tales enim ægri, vt ait Gal. in primo prorrh. ſententia quarta, inchoata mentis læſione, turbantur & iam delirio proximi ſunt. Hæc autem turbulentia & agitatio, ſiue ex concepto in venis maioribus incendio atque interna inflammatione indéque fuligine turbulentus ſomnus excitetur; ſiue humore partim acri, partim crudo, cerebrũ imbuente, cum iactatione & febre acuta fiat; peſſimũ eſt, vt cauſa potiſſimũ, quia varia illa corporis iactatio vires celeriter deiicit: Somnus verò materiam, cuius malignitatem frangere domaréque non poteſt, intrò impellit, quæ cruda & vitioſa caput replet & metum conuulſionis adfert; his potiſſimùm quibus neruoſum genus infirmum eſt, & aluus

adſtricta, aut ſuppreſſa inſignis euacuatio. In quibus ſcilicet ad cauſæ efficientis perſeuerantiam & efficaciam, accedit patientis diſpoſitio. Quorum duorum alterutro deficiente, vix ſequitur operatio.

De prog. febris ſemitertianæ & tritæophiæ.

C A P. X.

EX omnibus febrium generibus, nullum eſt magis infenſum, & medico non auaro exoſum, quàm ea quæ eſt de genere tertianarũ, ſine intermiſſione torquentium. Quarum duæ ſunt differentiæ, aliæ ſemitertianæ dicuntur, Græcis hemitritæi, ex continua, quotidiana & tertiana intermittente mixtis, & variis locĩs varióque motu putrentibus pituita & bile, cum acceſſione & horroris ingeminatione, ſecundo die aut longioribus interuallis, per reduplicationem, aut breuioribus, per inæqualem incrementi motum. Aliæ huius generis febres ſunt tritæophiæ, quæ & ipſæ continuæ ſunt, leuem tamen habent remiſſionem, die poſteriore, ex qua mox violentiùs recrudeſcunt, in tertianæ modum, cum horrore, vel ſine horrore. Et hæ neque ſunt continuæ tertianæ, quia leuem habent remiſſionem, & interdum cum horrore exacerbationem; neque ſemitertianæ, quòd neque habeant reduplicationem horroris, neque acceſſio

accessionem secundo die ; non sunt etiam extensæ tertianæ, quia non desinunt in integritatem. Hæ febres habent ortum à crudis pituitosísque succis putrescentibus, admixta his flaua bile, vnde rigores erratici, non in singulis accessionibus, sed interdum, & parui horrores qui non perpetuò cum accessionibus inuadunt, ex variorum succorum putredine & motu. Nam bilis quidem calidior, febrem acutam celeriùs accendit, quia celeriùs putrescit:& mouetur: interea crudus humor & frigidior, tum corrumpitur, tum putrescit, vnde fit vt remissa bilis putredine & motu, recrudescat febris; ex facta veluti requie & remissione, altera adueniente materia; qua putrescente, quæ prior inuasit, iterum recrudescit, & ita succedit accessio deterior priore, quòd vires iam priore fractas offendat, nec vllum reficiendis viribus tempus naturę relinquatur. Sunt autem eiusmodi febres continuæ, acutæ, & malignæ, tum specie ac propria natura, tum grauium symptomatum accessione: continuæ quidem, quia ex bilis & pituitæ vicissim facta putredine constant; ac dum prior febris remittitur, posterior recrudescit, vt naturæ nihil quietis relinquatur : acutæ verò ob bilem calidiorem : malignæ denique, quòd, vt ait Gal. primo epid parum remitti, & ex leui remissione celeriter & vehementiùs exacerbari, maligni morbi sit indiciū, ad quam malignitatem

fit acceſſio pro ratione partis,pro qualitate materiæ, & vario illius motu, variáque corruptione,ex quibus colligimus has febres acutas eſſe, & plurimùm lethales.

De prog.feb.autumnalium & erraticarum.

Cap. XI.

QVemadmodum aliæ temporum conſtitutiones ſunt quorundam morborum effectrices & conſeruatrices: ita & autumnus; ſed multò deteriore conditione,vt vulgo peſtilens, medicis morbiferax dicatur. Officit autumnus iniuria multiplici. Prima eſt, inæqualitas & repentina caloris & frigoris in aere mutatio: habet enim ab æſtate ſiccitatem cum quodam calore, cuius eſt extremum; ab hyeme ad quam ſe applicat, frigiditatem cum quodam humore: facit itaque illa inæqualitas, vt calor natiuus æſtate penè diſſolutus,variè agitetur intro,foras, & contra, indéque ſe ipſo imbecillior fiat. Secunda autumni incommoditas eſt,bilis retorridæ,ęſtate aceruatę,frigore intus cohibitio.Tertia eſt,dietæ vitium & vſus fructuum:vnde cruditatis multus prouentus,quę cùm putredinem à prohibita tranſpiratione acquiſiuerit, alui fluxus,febres varias,erraticas & autumnales,quales etiam hyeme naſci ſolent, generant. Quare vt tri

vt tribus prædictis modis est noxius autumnus, ita morbi tripliciter difficiles sub eo existunt; primùm specie, quia atrabilarij; deinde virium infirmitate, quę humoribus dominari non possunt; tertiò transpirationis suppressione, & maligna putredine. Febres autem quæ vt plurimùm autumno vigere solent, sunt quæ tertianę naturam referunt: quæ, quia sæpiùs omnem rationem formæ & circuitus febrium perturbant; vt modò tertio quoque die, modò quarto, interdum quotidie, nullo ordine inuadant, erraticæ appellantur: quarum sunt duo genera; vnũ, earum quæ ex congerie succorum diuersi generis in corpore putrentium ortum habent; alterum, earum quæ aliis succedunt febribus, vt continuis, ardentibus, aut semitertianis. Vtroq; modo febres plurimæ, quæ vigent autumno, vt semitertianæ, primò in erraticas, deinde in longas & difficiles quartanas mutantur, aut in accessiones paribus diebus degenerant. Quod in morbis acutis & perniciosis, mortis: & in mitioribus, diuturnitatis signum est certissimum.

Febres igitur erraticæ, de his quæ primùm intermittunt factæ, malum significant dupliciter, cum difficultate iudicij: primùm quia putredo diuersa in diuersis significatur, & per consequẽs opus coctionis operosius, quæ succorum æquationem molitur: deinde quia naturæ vis labefactatur. Cùm enim imparibus mouere soleat die-

bus, ſi ad pares recidat exacerbatio, præcipitantis iam & debilitatæ naturæ, argumentum eſt: perturbat enim naturæ ordinem, materia morbi, vel copia, vel praua qualitate, vt diuina illa vis quæ ordine omnia facit, anticipare cogatur, nec ampliùs eodem temporis tractu eodémque circuitu excrementa aggredi & expellere poſſit. Sunt enim parium dierum motus intempeſtiui, & ex axiomate phyſico, omne intempeſtiuum præter naturam eſt. Quòd ſi de continuis quæ in intermittentes deſiuerint, fiant erraticæ febres, in quartanas degenerare ſolent; quod quàm ſit difficile ex natura quartanæ intelligitur, quæ autumno incipit, & fractis ex diuturnitate morbi viribus ſuccedit.

De prog. feb. nocturnarum & diurnarum.

Cap. XII.

Avicennas poſt Hipp. & Galenum, pituitoſis febribus annumerant diurnam & nocturnam, iure optimo. Hi enim autores cum ſecunda, tertia, quarta & quinta ſententiis lib. 3. epid. egiſſent de reliquis febribus humoralibus, ſolas pituitoſas reliquiſſe videbantur. De his igitur ſententia ſexta eiuſdem libri ſcribentes, ſub nomine nocturnarum & diurnarũ, eaſdem intelligunt: eò maximè, quia non eas ſeparant per

per certam periodum, ſed per diem & noctem. Et quod ad prognoſim attinet, cùm putentur quotidianæ non vacare periculo, periculoſiorē exiſtimat Hipp. diurnam cùm dixit: *Nocturna non admodum lethalis, diurna longior, ſunt quibus ad tabem vergat.* Periculoſiorem, inquam, vt ſignum & vt cauſa: vt ſignum quidem, quoniam malignitas humorum oſtenditur; quia tenuatione & raritate, quam dies inducit, meliorari non potuit, nec ab inſultu impediri; adde quod improportionale eſt pituitæ, die incipiente inuadere, ſed ad noctem, & improportionabilia omnia mala ſunt: vt cauſa autem, quoniam in diurna febre, noctu non in acceſſione cibandum eſt, & à cibo vigilandum. Quare diutiùs durat morbus, & non raró in tabem præ longitudine faceſcit. Addit Auicēnas, & quia diei calor febrili paroxyſmo incommodat, frigus verò noctis tempori ceſſationis & interualli. Et hæc de deprauata pulſatione à febribus ſufficiant.

De prog. læſionis reſpirationis, & primò ab angina.

Cap. XIII.

NVllus eſt affectus à quo reſpiratio magis deprauatè lædatur, cum febre acuta & non ſine virtutis pulſificæ læſione, quàm ab angina vera: quæ cùm à phlegmone propriorum

m uſcu

musculorum laringis pendeat, duobus tantum signis pathognomonicis demonstratur, & ab aliis morbis separatur, nimirum difficultate spirandi, nullo existente vel in thorace, vel in pulmone vitio, & angustiæ sensus in gutture, cum dolore: ita vt in hac anginæ specie, tria hæc simul conspirent, febris acuta, repentina strangulatio, & dolor in faucibus. Sed vt de angina certius præsagium colligatur, notanda est eius trimembris differentia apud Hipp. & Gal. lib. 4. de dieta à loco affecto. Prima est, cùm humor tenuissimus atque acerrimus fauces prætergressus, in venulas duodecim musculorum laryngis delabitur, facitque anginæ speciem perniciosissimam, cum prædictis symptomatibus, nullo tamen tumore apparente in faucibus, quæ vel eodem die, vel secũdo, vel tertio, aut ad summum quarto strangulat & necat. Altera est, cùm humor crassior in tenues gutturis venulas permeare non potest, in maioribus ad fauces cohibetur; facitque hanc anginæ speciem, in qua hianti ore, tumor cum rubore in faucibus apparet: quæ angina periculosa quidem est & dolorifica, superiore tamen longè mitior ac diuturnior. Tertia est, in qua fauces & ceruicis musculi ad latera œsophagi positi extrinsecus, intumuerunt, omnium tutissima & mitissima: in ea enim minor est angustia, & liberior spiratio, dolor remissior & curatio facilior, translata in partes

tes exteriores materia. De qua extat aph. in coacis, *quibus & fauces & ceruix rubent similiter, pectus quoque, longior morbus est, & præcipuè ex iis seruantur, si quidem rubor non recurrat intrò.* Prætermitto quartam anginæ speciem à luxatione vertebrarum ceruicis; tum quia rarò contingit, & Gal. rarò eius meminit; tum quia in ea gutturis musculi simul inflammantur, vt in prima specie. Quibus præmissis, in angina prognosis instituitur in genere & in specie. In genere quidem, cùm omnis angina morbus sit acutus, vt ea liberetur æger, coctionis signa statim apparere oportet, nimirum primo die, si celeriter morbus ad statum fertur, & quartò iudicari debet: aut secundo, aut tertio, vel ad summum quarto, si ad septimum progressurus sit. Sic omnis angina, quæ sine signis coctionis, sine materiæ excretione, aut resolutione, vel à natura, vel à medico facta, & in summa absque ratione, aut cum prauis signis desiisse videtur, lethalis est, aut saltem infida, per sent. 17. 2. prorrh. Pernitiosa sine signis leuantia, mortem indicant. *Sic dolores sine causa manifesta soluti, pernitiosi sunt in angina.* In angina quidem quia grauis affectus est: at in leuiore doloris occultatio, per materiæ trãslationem in nobiliorem partem, vt in caput, non semper est lethalis. Natura enim robustior facta, humoris ferociam interdum comprimit, ac per hæmorrhagiam, parotidas, aut alium abscessum,

vel

vel excretionem ſeſe exonerat. Sic ex anginæ tumore ante ea conſpicuo, & ſine ſanguinis miſſione, aut ex prædictis modis aliquo ſubſidente, ſymptomaticam fieri humoris permutationem prænuntiamus: in thoracem quidem & in pulmonem, ſi dolor grauis cum tuſſi & difficili ſpiratione ſuperueniat: ad ventriculum, ſi nauſea: ad vitæ principium, ſi cordis tremor, cum virium langore & animi deliquio: ad neruoſas partes, ſi conuulſiua reſpiratio prehendat: ſi in aluum, tumorem in hypochondriis concitat, inteſtina vellicat, atque interdum ſanioſas aut purulentas deiectiones producit: nonnunquam abſceſſus ad vrinas, ſtranguriosi appellati, efficiuntur. Sunt autem eiuſmodi tranſlationes eò periculoſiores, quò ad partes præſtantiores feruntur: at ſi in caput fiat lethalis eſt, per aph. *In angina ſine ſignis in caput dolores verſi cum febre lethale.* Quod verum eſt, ſi fiat metaſtaſis ſine criſis ſignificatione: ſi fiat manente priore foco, cum gutturis anguſtia, & difficili reſpiratione. Vnde colligimus morbo maligniore facto, materiam acrem & malignam in partes vicinas & intimas tranſmutari: quod ſummè exitioſum eſt, quia quò plures partes afficiuntur, eò periculum grauius & celerius. Prognoſis ergo primæ ſpeciei, ex eius deſcriptione ſupra ſcripta facilè colligitur: cuius pernities prænunniatur, tum ſignis maximè propriis, vt nullum tumorem,

tumorem, nullum calorem aut ruborem in faucibus conſpici, cum maximi doloris & anguſtię in gutture sẽſu, anhelitu ſuſpirioſo, orthopnœa; tum aſſidentibus ac ſuperuenientibus ſymptomatis, qualia ſunt raucedo, vocis impedimentũ, ſpiritus ſublimis, potionis per nares recurſus, deglutitio intercepta. Et hæc ſymptomata, quia non ſemper morbum comitantur, ſed ſæpè cum illo accidunt, súntque pathognomonicorum effecta, aſſidẽtia dicuntur, Gręcis ſyndreuonda. Huic autẽ anginæ, ſi accidat vrinæ & alui ſuppreſſio, extremarũ partiũ frigus ac liuor, quæ ſigna ſunt ſuperuenientia, mortem in propinquo eſſe eſt pronuntiandum. Secundæ ſpeciei angina pernitioſa quidem eſt, doloris acerbitate & perenni catharro nitroſo à capite defluente: diuturnior támen eſt primâ, quia non tam ſubitò necat defectu reſpirandi & degluticndi, præſertim ſi fauces inſigniter rubeant; ex quo colligimus craſſiorem eſſe materiam quæ in faucibus ſubſiſtit nec laryngis venulas ſubire poteſt. Quòd ſi rubor hîc accidat à propagatione materiæ morbificæ, manente priore foro in muſculis propriis, fiátque metaſtaſis faucium inflammatarum ad ipſam laryngem, mors in propinquo denuntiari poteſt: moritur enim æger eodem die. Tertia anginæ ſpecies putatur omniũ tutiſſima: in ea enim ægri nec magnoperè dolent, nec adeò difficilè reſpirant, nulla in

re affe

re affecto gutture,ſed vniuerſa fluxione , vel in fauces vel in ceruicem , vel in vtrumque decumbente : in hac enim inflammatio magis cōſpicua eſt,quàm in ſecunda.Hanc longiorem facit Hipp.in coacis. Cuius longitudinis cauſa eſt abſentia eorum ſymptomatum,quæ in duabus ſupradictis mortem accelerant : nimirum acerbitas doloris, & orthopnœa, modò,inquit, rubor intrò non recurrat, per aphor. *Angina correpto,ſi tumor appareat in collo,bonum : foris enim morbus exiſtit,*vt igitur in angina externus tumor ſalutem polliceatur oportet cætera ſymptomata quæ circa guttur apparent , manifeſtè remitti; dolorem nempe & difficilem reſpirationem.

De prog. pleuritidis.

Cap. XIIII.

DEprauatè læduntur vis pulſifica & reſpirandi,per omnes affectus thoracis,præſertim ſi habeant febrem comitem. Nullus tamen eſt morbus , à quo principia illarum operationum grauiùs afficiantur,quàm à pleuritide:quę cùm impediat motum thoracis , & ſuæ inflammationis cor ipſum facilè particeps efficiat, nihil mirum ſi difficilem facit reſpirationem,& pulſum frequentiorem, crebriorem, velociorē, & auctiorē ſolito,febrem acutam teſtificantem.

Ad

Ad prognosim igitur ex pleuritide benè instituendam, necessaria est eius duplex diuisio: vna, quæ sumitur à loco; altera, ab humore. Habet enim pleuritis diuersos exitus, & breuem aut longam extensionem, provt diuersas thoracis partes occupat, & à diuersis causis oriri solet: Nam quæ notha est vel non exquisita, sicut externos thoracis musculos aut intercostales tantùm occupat, præssúque digiti; & decubitu in dolente in oppositum latus percipitur; ita tolerabilior est remediisque etiam topicis solis cedit. Quæ verò exquisita est pleuritis, in membranæ succingentis costas inflammatione consistens, quia modò ab humore tenui & acri, modò à crassiore constat; ideò celeriùs vel tardiùs ad statum peruenit & terminatur. Nam quæ biliosæ simul sunt & sanguineæ, vt plurimùm nono, aut vndecimo, aut celeriùs iudicantur: quæ verò materiæ contumacia constant, quæ nec coqui potest nec expectorari, sicut in his facultatis animalis & naturalis robur, priùs quàm ad statum & expectorationem ventum sit, prosterni solet; ita vt plurimùm sunt periculosæ, & lethales, magis senibus quàm iuuenibus: illi enim celeriùs intereunt virium debilitate: tales sunt in quibus dolores sunt initio molles, qui quasi ex insidiis quinto vel sexto die exacerbantur. Eas autem periculosas asserit Hipp. in coacis, tum propter sexti diei naturam, insidi &

tyranni instar iudicantis; tum propter accessiones paribus diebus contingentes, quæ maligne esse solent, præcipuè in his febribus, naturam tertianarum referētibus. Mollis enim & latens symptomatum accessio, naturæ oppressionem ostendit, quæ vel morbificis causis occurrere atque obsistere non audet, propter malignitatem; vel non potest, propter copiam. Solet itaque pleuritis pro varietate humoris à quo fit, variis modis terminari; aut enim resoluitur dum materia in tenues discutitur auras, vel dum expectorato exhauritur; aut mutatur, dum fit suppuratum, aut putrescit, cùm corrupta materia partem in gangrenam trahit, quod est calamitosum; aut induratur, cùm exhausta tenui parte, crassior induratur, quod tamen rarò contingit; aut denique permutatur aliò translata materia, vnde parotis, phrenitis, paralysis, orthopnœa, syncope, empyema, &c.

Pleuritidem igitur expectorato exhauriri pronuntiabit medicus, si promptè & facilè, breuique tussi (quod benigni humoris indicium est) non lenti aut crassi; si citò, id est ineunte morbo, fiat expectoratio; si prodeant expectorata commodè; in qualitate, id est, colore cum flauedine commixta; in consistentia, vt non viscosa, nec nimium crassa sint; in tempore, vt citò appareant, nempe circa tertium diem. Solet enim hic morbus moueri diebus imparibus.

Pleuri

Pleuritidem in ſuppurationem mutari pronuntiabit medicus cum Hipp. ſi materia pleuritidis digeri, vel per ſputa vacuari non potuit intra decimum quartum diem, ab initio ipſius pleuritidis ſupputando: is enim eſt terminus morborum acutorum, per aph 23. lib. 2 aphoriſmorum. Pleuritidem putreſcere, & in malignam qualitatem mutari. oſtendit ſputum nigrum, aut bilioſum ſimul, & purulentum, ac multum, feruor in gutture & ſtertor: ſi cum iis æger vim morbi præmoleſtè ferat; magnum & frequenter ſpiret, aucto incendio in pulmone & corde: ſi ſiti torquetur; coſtæ & thorax inſigniter præ cæteris partibus, propter magnitudinem inflammationis, caleant: ſi denique inflãmationis corruptela, calore natiuo ab igneo diſſipato & extincto, ad coſtas vſque peruenerit, ita vt ſydere percuſſus videatur æger, ſigno omninò funeſto.

Pleuritidem in ſcirrhoſam duritiem finiri rarum eſt. Ea verò ſignificatur dolore graui lateris, cum tuſſi ſicca: pleuritidem enim ſiccam damnat Hipp in coacis hoc aph. *Siccæ pleuritides, & in quibus nihil expuitur, periculoſiſſimæ ſunt.* Quod tamen ſimpliciter non eſſe intelligẽdum affirmat interpres Iacotius; nihil enim in principio expectorare ægrum, cruditatis quidem & morbi longitudinis ſignum eſt, nondum tamen malignitatis: cruditas enim non eſt ſimpliciter

mortis ſignum. Addendæ ergo ſunt hæ conditiones eodem autore: vna,ex virium ſtatu;altera,ex temporibus morbi. Infirmis enim viribus & progreſſo iam morbo, lethale eſt nihil expuere, aliis ſcilicet ſuperuenientibus ſymptomatis. In principio verò oppreſſa potiùs quam infirma virtute, tantùm oſtendit illa cruditas longius tempus habiturum.

Pleuritidem bilioſam in cerebrum transferri, ex eo pronuntiari poteſt, quòd dolor lateris abſque iudicatione, aut abſceſſu remittitur, móxque ſuperueniunt ſigna delirij, qualia ſunt quæ vim adaucti morbi ſequuntur Græcis dicta epigenomena,vt oculus perturbatus, facies triſtis, &c. Cùm enim materia ad cerebrum peruenerit, illic permanet, ac temporis progreſſu putreſcens, fit nigrior. Ideóque caliginoſos vapores emittit, ac ſpiritui qui aſpectum efficit tenebras offundit. Alia ſunt eiuſdem generis ſymptomata,quæ pleuritidem lethalem ſignificant & mortem propinquam, vt eſt ſtrepitus multus in pectore, qui, ſi ab humida diſtillatione à cerebro non oriatur, materiæ pleuriticæ feruorem & agitationem ſignificat,quę propter contumaciam,copiam,aut facultatis imbecillitatem,non poteſt expectorari: huius generis eſt ſtillicidium ſanguinis è naribus, quod duabus de cauſis eſt lethale:vna eſt communis omni febri acutæ, in qua ſanguinis è naribus ſtillatio,

præſer

præſertim nigri & ſynceri, ſi cum prauis cerebri ſymptomatis iungatur, mortem denuntiat: altera eſt pleuritidi propria, quæ hoc genere criſis rarò admodum ſoluitur. Viſa eſt denique pleuritis aliquando ſudore finiri: non parum enim iuuant feruentes phlegmonas, ſudores multi & calidi, è toto corpore & præcipuè à parte laborante, die critico oborti, reſpondentes morbo, antegreſſis ſignis coctionis, & è quibus æger leuiùs habet. Pleuritidem etiam ex multorum ſymptomatum perturbatione abſceſſum ad cutem aliquando facere, ſcribit Hipp. ſect. 6. lib. 6. epidemiorum, quaſi ex humore ſalſo excitata, vnde cutis arida & circuntenſa redditur.

De prog. læſionis reſpirationis.

Cap. XV.

RESpiratio, (altera vitalis facultatis operatio) tribus quoque modis læditur: diminutè nempe, abolitè, & deprauatè. Huius poſtremi modi multæ ſunt quidem differentiæ, illorum duorum paucæ. Diminuta namque quoſdam poteſt habere gradus, ſequitúrque ad imbecillitatem, aut facultatis, aut inſtrumentorum reſpirationi dicatorum: ſicut abolita reſpiratio, (apnœam Græci vocant) fit cùm principes partes, cerebrum nempe & cor, magno aliquo af-

fectu, siue primario, siue secundario, laborant: aboleri tamen respirationem non putat Gal. quãdiu viuit animal. In quibusdam animalibus tam exigua est, vt in serpentibus, vt percipi non possit: hystericæ etiam mulieres aliquandiu dicuntur viuere, sola transpiratione. Deprauatæ autem respirationis læsiones meliùs obseruãtur, prænotatis modulis qui in bona respiratione esse consueuerunt. Sunt autem moduli sequentes: ne sit respiratio rarior, frequentior, tardior, velocior, maior, minor, inæqualis, intercisa, sublimis; sed sine interuallis iustóque spatio interposito, redeant inspiratio, expiratio & iusta quies: Spiritus calore temperatus sit, ne aut egelidus aut calidus ac feruens è thorace prodeat: Instrumenta pariter morienti facultati animali cedant, vt caloris insiti modus foueatur. Atque quæ in supradictis immutantur, tanto periculosiora sunt, quanto causa grauior & naturæ magis infensa. Mutatur autem respiratio potissimùm ab illis tribus causis à quibus manat. Cerebrum namque tanquam agens respirationem mutat penes robur, imbecillitatem, vel conatũ quem facultas assumit, vt cum humorem criticè expellit. Pectus mutat respirationem tanquã instrumentum, penes dolorem, augustiam, conuulsionem, paralysim, duritiem, siccitatem, &c. Eandem denique mutat cor ipsum refrigeratum, calefactum, impeditum, in cuius gratiam

priora

priora illa operantur. De ſpeciebus læſionis reſpirationis, ſigillatim agendum.

De prog. reſpirationis paruæ & frequentis.

Cap. XVI.

QVatuor duntaxat difficilis reſpirationis coniugationes, ex duobus contrariis aſſignauit Hipp. non enim plures quatuor primæ & æquales eſſe putatur. Nam vel ſpiritus paruus eſt & frequens, vt in dolore; vel paruus & rarus, vt morte imminente ab extinctione; vel magnus & frequens, vt in vehementi incendio cordis & pulmonis; vel magnus & rarus, vt in delirio Frequens itaque reſpiratio dignoſcitur, ex breuibus interuallis, & quiete, in qua vix perficitur altera pars reſpirationis, cùm altera ſuccedit. Quæ frequentia coniungitur vel cum magnitudine, vel cum paruitate. In illa augetur vſus reſpirationis, vel à calore redundante, in his præſertim partibus, quæ ſunt circa ſeptum tranſuerſum; nimirum in corde, vt per febres; in pulmone, vt in peripneumonia, in qua nondum eſt magna anguſtia, aut in cauſo, quæ focum habet in pulmone. In hac, id eſt, in reſpiratione frequenti cum paruitate, augetur idem vſus ab aliqua cauſa impediente ſufficientem thoracis motum, ſiue in pulmonibus inſideat, vt in peri-

pneumonia cum magna angustia: siue in thorace, vt in pleuritide; siue in diaphragmate, vt cum ventriculi, iecoris, lienis, aut stomachi mole premitur; siue in musculis abdominis, qui omnes respirationi subseruiunt. Et de hac frequentia extat aph. in coacis, *spiritus frequens & paruus, inflammationem & dolorem in principibus locis significat.* In hac igitur respirationis differentia prognosis, secundùm grauitatem vel leuitatem affectus vnde manat, limitatur: quòd dolor, non minùs quàm locum affectum demonstrat: si enim grauiùs sunt affectæ partes prædictæ, dolent, quamuis non moueantur: si verò leuiùs, quando mouentur tantùm. Confert & ad prognosim scire (quod antea diximus) omnem frequentem spiritum gigni, non solùm à dolore, verùm etiam à caloris copia; quam etiam velocitas pulsus cum frequentia comitatur, & ab angustia, ex qua non tantùm frequens respiratio editur, verùm etiam orthopnœa & sonus quidam, id est strepitus, qui stertendo fit. Quibus frequentiis si paruitas accedat, grauius periculum & mortem in propinquo plerumque significat.

De

De prog. respirationis raræ & paruæ.

Cap. XVII.

HIppocrates in coacis animaduersionibus, raram & paruam respirationem intelligit, per spiritum frigidum. Quemadmodum enim magnus & frequens nimium calorem ostendit, atque idem est dicere calidum spiritum, quod magnum & frequentem, ita paruus & rarus, frigoris est argumentum: talisque spiritus non est alius quàm frigidus. Ex quo certò mortis periculum prædici potest, & esse in propinquo, tribus certissimis signis, præsertim in morbis acutis, vnum est frigida naribus & ex ore expiratio, alterum est pinnarum nasi motus, tertium prolapsus pectoris: quorum primum instrumentorum respirationi inseruientium & cordis frigus denuntiat, per extinctionem caloris natiui, & humidi primigenij ipsius cordis consumptionem; quæ extinctio differt ab ea quæ in morbis longioribus à pituitosis & crassis succis cordi contrahitur: Secũdùm absolutum virium infirmitatem sequitur; tunc enim natura emoriens, quasi ita plus aëris intra pectus receptura esset, nares contrahit, non secus atque nonnulli morientes hiare conspiciuntur: Tertium quod est pectoris collapsus & casus repentinus, fit

ægrotante motrice facultate, quæ non ampliùs vt ante paulatim pectus dimittit, sed aceruatim totum collabi sinit; sicut fieri solet in his, quorum totum corpus ad pedes prolabitur.

De progn. respirationis magnæ & frequentis.
CAP. XVIII.

QVemadmodum respiratio fit parua & frequens, cùm instrumenta vel non sunt libera, vel cùm ad motum naturę, & ad incitantem vsum necessitatémque torpent: ita magna & frequens esse consueuit, cùm libera sunt dolore, nec vllo affectu intercipiuntur. Magna igitur & frequens respiratio, paruæ & raræ contraria, dicitur, qua plurimus spiritus trahitur, & calidus ac feruens ex naribus & ore efflatur. Quæ cum ingẽtem calorem sine obstructione, & incendium partium thoracicarum declaret, salutaris, dubia, aut lethalis, pronuntiabitur, consideratis signis, quæ affectionibus à quibus oritur, superuenire consueuerunt: de hac sic scribit Hipp. in coacis: *Lethalis est spiritus exæstuãs & fuliginosus, minus tamen quàm frigidus.*

De progn. magnæ & raræ respirationis.
CAP. XIX.

MAgna dicitur respiratio, vel quia in ea multùm dilatatur thorax, vel quia multùm

tùm aëris inſpiratur. Tribus autem de cauſis fit illa plurima thoracis diſtentio; aut quia augetur calor viribus conſtantibus; aut quia anguſtia impedit ne multus aër ſubeat; aut quia vires deficiunt. In prima cauſa verè magna eſt, in qua pectus maximè dilatatur, & multùm aëris inſpiratur, etiam ſine ſuperiorum muſculorũ actione: in ſecunda, magna quidẽ eſt, ſed quia quod inſpiratur non ſolùm non aſſequitur proportione dilatationem, verum etiam multò minus quam ſecundum naturam ſolet (propter anguſtiam & obſtructionem) attrahitur. Ideò magna dicitur, cum adiunctione. At quæ magna videtur reſpiratio propter virium imbecillitatem, in qua licet agant omnes reſpirationis muſculi, magna tamen re vera non eſt; quamobrem vocatur ab Hippoc. ſublimis, quia in ipſa ſublimes muſculi operantur qui thoracem & ſcapulas plurimum attollunt, licet aër non multus ingrediatur. Raritas quidẽ cum duabus poſtremis iungi poteſt, ſine delirio. Quæ ſi accedat ad primam, in qua eſt magnitudo cum diſtẽtione pectoris & multi aëris ingreſſu, certiſſimum eſt magni delirij, aut præſentis, aut iam iam futuri argumentũ. Eſt enim raritas hæc ſolius obliuionis affectus: quia aucto vſu, & liberis inſtrumentis, ſola mens in vitio eſt. Nam cùm reſpiratio ſit opus naturalis facultatis, fit vt qui delirant, in ea deficiant, non ſecus quàm in reliquis fun-

ctionibus

ctionibus arbitrariis, obliuioni detenti propter occupationem in spectris. Et sic cessant longo tempore bibere, meiere, &c. quia obliuiscuntur, aut non apprehendunt impressionem in sensibus factam. Aucta igitur necessitate, cum iam valdè vrgentur, exercent animales operationes, & longis interuallis, ideò magnas, inter quas respiratio numeratur, de qua extat aphoris. in coacis: *Magnus & rarus spiritus delirium aut conuulsionem significat.* De delirio autem & conuulsione superiùs egimus.

De progn. respirationis inæqualis.

Cap. XX.

PRæter prædictas respirationis differentias, aliæ sunt inæquales, in quibus inspiratio cum expiratione comparatur. Nam cùm sint duæ respirationis partes; vna qua spiritus stricto thorace foras excluditur; altera qua idem spiritus intrò trahitur, thorace ampliato, efficitur vt eius inæqualitas consistat, quando magna est expiratio parua existente inspiratione, & cõtra. Cuius inæqualitatis causa petenda est potissimùm ab vsu incitante: quamuis anima quæ mouet, & instrumenta quæ mouentur animæ cedunt, concurrere dicuntur. Est autem necessitas eiusmodi triplex: vna maxima & præcipua, innati caloris refrigeratio, vel potiùs moderatio; altera

altera minor, ſed maximè neceſſaria, ſpiritus animalis nutritio; tertia fuliginum expurgatio. Primæ & ſecundæ inſpiratio ſatisfacit, vltimæ expiratio. Quoties igitur magis vrget expirandi, quàm inſpirandi neceſſitas, motus foras vincit, & qui intrò procedit minor efficitur, modò inſtrumenta ſint libera: quod è contrario de vrgente inſpiratione eſt concludendum: diximus modò inſtrumenta ſint libera: nam læſo diaphragmate & muſculis intercoſtalibus interiùs, non ita libera eſt inſpiratio: tunc enim minor eſt & maior expiratio, & contra cũ muſculi externi intercoſtales & abdominis laborant. Quoties igitur coeunt neceſſitas expirationis & infirmitas prædictorũ inſtrumentorum, maior erit expiratio & minor inſpiratio. Eadem ratione cùm maior eſt vſus inſpirationis, doleátque vẽter exterioréſque coſtarum muſculi, maior erit inſpiratio, minore exiſtente expiratione. De qua inæqualitate extat aph. in coacis animaduerſionibus. *Spiritus qui foras magnus excluditur, intrò paruus redit, & qui foras paruus intrò magnus, &c.* Quantum ad prognoſim huius inæqualitatis, petenda eſt ex acutie morborum in quibus fieri conſueuit. Sunt & aliæ inæqualis reſpirationis differentiæ apud Hipp. ex quibus per ſe de exitu affectionum nihil poteſt concludi.

De

De prog. reſpirationis cum ſtertore.

Cap. XXI.

SOlet in multis affectibus, reſpiratio cum ſtertore contingere, vt in apoplexia, in pleuritide, peripneumonia, aſthmate, in ſuppuratis, &c. Eſt autem ſtertor ſymptoma feruentis materiæ in bronchiis pulmonum, cùm ſcilicet pulmo nihil expurgat, ſed plenus eſt humore feruente, quem cùm aër inſpiratus & fuligo exitum moliens per vim diuidit, ſtrepitum excitat. Vehementem igitur eſſe oportet reſpirationis difficultatem, in qua ſtertor accidit, cuius duæ ſunt præcipuæ cauſæ, feruor ſcilicet prædictus & anguſtia viarum prohibens concurſum liberum ingredientis aeris & exeũtis fuliginis. Talis eſt in orthopnœa, in qua ſpiritus niſi erecta ceruice duci non poteſt: cuius rationẽ reddit Gal. comment. ad ſententiam 54. 2. prorrh. cùm, inquit, Aſpera arteria, principium ducẽs à ſummo gutture, in pulmones diſtribuitur: quoties thoracem cum collo extendimus, arteria ipſa dilatatur, & ſimul cum ipſa propagines omnes, quas pulmonibus inſerit. Vnde etiam petitur ratio, cur qui ita laborant, ſurgere conentur. Nam bronchia pulmonum magis hiant erecto quam decumbenti, & minore difficultate diſtenditur pectus. Prognoſis tam ſtertoris,

toris, quam trium graduum difficilis respirationis, petenda est ex grauitate affectuum quibus superuenire solent.

De prog. peripneumoniæ.

CAP. XXII.

ETsi vis pulsifica & respiratoria æquè lædi videantur in inflammatione pulmonum. In hac tamen tanta est respirationis deprauatio, vt dum pus in ea conficitur, summa angustia æger pressus, nisi erecta ceruice vix respirare possit. Est enim peripneumonia pulmonis phlegmone, vel primaria nullo præcedente affectu, vel aliis morbis succedanea. Eius enim est triplex generatio. Interdum statim inuadit nullo præcedente, vt dictum est, affectu, sed sanguinis biliosi ac tenuis collectione, per totum visceris corpus, qui è dextro cordis sinu continuò effluit per venam arteriosam. Interdum ortum habet à destillatione, è cerebro confertim in pulmones illapsa, quam pulmo faciliùs excipit. Sæpiùs aliis morbis superuenit. Et quoad prognosim, quinque modis peripneumonia inuenitur finiri apud Hipp. morte, nempe, per suppressionem sputi: coctione: suppuratione: crisi, aut deriuatione & expurgatione humoris per vesicam, vel aluum: & abscessu ponè aures, aut in cruribus.

cruribus. Quorum omnium modorum perquirere,facit multum ad prognoſticum.Moriuntur itaque & ſuffocantur peripneumonici, cùm aut paucum eſt quod expuitur, etiam coctum, aut nihil (pulmoniam ſiccam tunc appellant) quod horrendum eſt, duabus de cauſis:vna omnibus febribus communi, in quibus paucum nullum criticùm eſt: altera huic affectui propria: qui propter loci affecti laxitatem,& raritatem,ſemper aliquid humoris contenti remittit, quod non fit in pleuritide, tunc enim quia nihil aliud incuſare poſſumus,quam imbecillitatem facultatis vitalis, & motricis, cum pulmonis anguſtia, ſalus non poteſt non eſſe ſuſpecta. Peripneumonici coctione,modo omnium tutiſſimo liberantur, cùm ſputum pro ratione editur, nempe ſi coctum, ſi facilè; ſi citò & cum pauca tuſſi educatur. Suppurationem in pulmone eſſe factam hæc declarant : horror, à vellicatione membranarum partis affectæ ab acrimonia puris;difficultas ſpirandi,à repletione bronchiorũ pulmonis;febris aſſidua noctu increſcens,aucto calore à ſuppreſſione excrementorum; ſudores multi, tuſſiendi cupiditas irrita: nihil enim excreatur effatu dignum;color & æſtus circa thoracem.

Liberantur aliquando peripneumonici,multa & craſſa vrina, cum multa hypoſtaſi;aut alui fluxu,qui quidem vtilis putatur, ſi in principio aut

aut incremento contingat, materiæ scilicet antecedentis expurgatione, modò diutiùs non perseueret: alioqui in declinatione, aut statu, quia nihil de materia coniuncta educit, ac vires iam fractas prosternit, ferè semper est lethalis.

Peripneumonia quæ aliquo ex prædictis modis non terminatur, per abscessum solui consueuit: abscessus autem qui peripneumonicis superueniunt, alij sub auribus oriuntur, qui vtiliter suppurant, pure scilicet cocto & naturali, ex quo præter caloris robur, significatur periculum abesse refluxus materiæ in cerebrum, aut pulmones: alij in partes thoraci subiectas, & inferas discedunt, ac in fistulam abeunt, cuius perenni influentia, veluti emissario quodam, non solùm pulmonis morbi, sed alij plerique, & prohibentur, & curantur. Non erit ab instituto alienum, causam inquirere, cur Hipp. laudet abscessum ad crura in peripneumonia, in angina non laudat, quamuis videatur vtrumque laudabile, cùm eadem sit in vtroque affectu periculi ratio; additur quòd satius est, etiam sine particulari coctione, anginæ superuenire abscessum ad crura, quam in larynge humorem retineri: ad hoc respondet interpres, Hippocratem damnare dolores & abscessus, qui per vehementes & periculosas anginas in crura erumpunt. Quia metuit effreni humoris effluxum ad interiora, & per cordis partes transitum. Sæpè enim inte-

ritus derepentè ſequitur; cùm humor, qui amplius loco contineri non poteſt, relictis faucibus in aſperam arteriam effunditur, & in vaſa quæ ad cordis ventriculos pertinent affatim irruit, ex quibus portio aliqua delabitur, & ad partes inferiores abſcedit, reliqua paulò poſt necat. Cuius rei poſuit exemplum in vxore Polemarchi hyeme anginoſa, 5. epid. fol. 351. ex verſione Cornarij.

De prog. phtiſeos.

Cap. XXIII.

FAcultates pulſifica & reſpiratoria non in omni tabe æqualiter læduntur: modò enim diminuuntur, modò deprauantur, prout ab hac, vel illa cauſa, corporis conſumptio ducit originem: nam in phtiſi, de qua hoc loco, vtraque deprauatur, & præcipuè vis pulſifica. Generali enim ſignificatione tabes ſeu phtiſis accipitur, pro qualibet corporis extenuatione, ſiue ex defectu alimenti, quam atrophiam appellant, ſiue ex febre hectica, ſiue ex pure contento in thorace, aut quauis alia cauſa exiccante, contingat. Particulari verò & propria acceptione, eam corporis conſumptionem ſignificat, quæ ſequitur ad inſanabilia pulmonis vlcera, quorũ tres ſunt maximæ & præcipuæ differentiæ: vna eſt à

deſtil

destillatione à cerebro,eáque vel multa,nec expulsa, quæ pulmones molles & tenellos putrefacit, vel (quod frequentius est) acri & exedente,qualis est salsa & biliosa, altera est ex successione pleuritidis, aut anginæ, aut peripneumoniæ, in quibus vomica rupta intra 40. dies repurgari non potuit: tertia frequentissima, ex apertione,aut ruptione vasis alicuius in pulmone,ex qua relinquitur vlcus, quo tunicæ vasorũ & ipsius pulmonis carnes eroduntur, & de hac differentia habetur aph.15 lib.7. *à sanguinis sputo puris sputum*. Nam in secunda sequitur sanguinis sputum, à puris expuitione. Nonnulli addunt quartam tabem,hæreditariam, nempe à vitiosa pulmonum constitutione & corruptioni parata, qua tempore sensimque flaccescit ac sponte corrumpitur pulmo. Interdum sine cruenta excreatione,aliquando cum ea. Et hæc præparatio ad phthisim potiùs est dicenda, quàm phthisis. Ex supradictis concludimus tres præcipuas esse causas phthisis, illuuiem scilicet suppurationis, qua pulmo immergitur: corruptionem ipsius pulmonis, cui maximè est oportunus:atque ferinam distillationem à capite in pulmones de errantem. Quod attinet ad prog. A quacunque causa fiat phthisis, ægrè curatur.Nam vt vlcus sanetur, vnione opus est: vnionis autem nulla spes in pulmone relinquitur, cuius caro, venæ & arteriæ reponi non possunt: additur, quod

præter motum perpetuum pulmonis, reſpirationis cauſa, non poteſt niſi tuſſiendo ſe excrementis extricare; at tuſſis, alas pulmonum vibrat & dilacerat. Dicitur tamen in ſicca corporis conſtitutione ſiccari vlcus, & callo obdurari, modò exiguum fuerit, ídque in principio tantùm. Nam ſi inueterauerit, nulla eſt ſalutis ſpes. Alij tamen phthiſici, aliis diutiùs viuunt, non enim æquè praua eſt omnis purulentia. Súntque nonnulli quibus nec alui nec capilli fluunt.

Phthiſicorum mortem in limine eſſe, tribus ſignis certò concludimus, ſi concurrant. Vnum eſt expectoratum fœtidum, cuius explorandi ratio eſt, vt igni ſuperfundatur, aut in vitro, vel pelui admotum carbonibus accenſis ſuperponatur. Alterum ſignum eſt diarrhœa. Tertium capillorum defluuium: hoc enim magnitudinẽ morbi ſignificat: quia principiis vehementer alteratis, neceſſario in conſenſum adducuntur omnia quæ ex illis vim accipiunt. Non poteſt igitur ſuccus ſatis largus, ſatíſque efficax tranſmitti ad partes ſolidas ab hepate. Calor cordis cum ſpiritu ineptus eſt, & tabificam quandam qualitatem acquirit. Alimẽtarius humor intercedens in partibus ſolidis, aptus non eſt ad vnionem. Colliquatur ergo corpus, & humor diffluit, qui vitæ eſt fundamentum. Quare qui ſic affecti ſunt, alui profluuio intereunt, per aphori

aphoriſmum, *quibus tabidis pili è capite defluunt, alui profluuio moriuntur: & quibus tabidis alui profluuium ſuperuenit, moriuntur.* Ratio inde petitur, quia alui fluxus neque vllam alleuationem adfert, ſymptomaticus enim eſt; neque ceſſat ad interitum vſque, quia facultatum proſtrationem, & partium mortificationem ſequitur. Apparet tamen in principio diarrhœa mitioribus ſymptomatibus, quæ tamen niſi tempore conquieſcat, & tuſſis minuatur, lethalis eſt.

De prog. empyematis.

Cap. XXIIII.

QVia actio thoracis & pulmonis intercipitur in empyemate, neceſſariò inde læditur reſpiratio; ægrè enim ægri reſpirant: in quibus etiam operatio pulſifica in deteriùs mutatur quia non deſunt cauſæ quibus pulſandi vſus augetur. Hipp. nomine empyematis generaliter ſumpto, omnem omnium partium phlegmonem quæ in pus mutata eſt, intelligere conſueuit. Peculiari autem acceptione empyicos appellat, quibus pus natat in capacitate thoracis, ita vt empyema nihil aliud ſit, quàm oppreſſio ſpatij thoracis à purulenta materia: vnde accidit vt ſuffocatio magis ab oppreſſione oriatur, quàm à neceſſitate, & vſu reſpirandi. Hanc pu-

ris in capacitatem thoracis effusionem, demonstrant alia multa signa præter suffocationem: qualia sunt febris cum horrore, ab acrimonia puris mordente vicina corpora: sudores multi symptomatici, è capite & thorace, ab infirmitate virium; tussiendi cupiditas, in qua nihil ingẽs expuitur; calor acrior, & maior in latere vomicoso, quàm in sano; & alia quæ commemorat Hipp. in prognosticis. Quoad prog. Empyematis in vniuersum quatuor sunt termini: duo ad salutem; puris videlicet per sputa repurgatio, & per vrinas aut aluum excretio; per vterum rarissimè in mulieribus: duo ad mortem; suffocatio nempe, propter puris non repurgati copiam; & phthisis seu tabes, corrupto pulmone, propter moram. Vtérque euentus dupliciter fit, aut enim celeriter aut tardè, vel seruantur vel moriuntur ægri. Seruantur celeriter, quibus febris statim eo ipso die post effusum pus desinit: signum enim est totum pus confectum esse, partibus solidis integris remanentibus: si cibi appetentia reddatur, restitutis videlicet, aut certè non impeditis facultatibus coquendi & appetendi in ventriculo, trahendi in hepate: si pus reiiciatur album, inodorum, leue, & concolor, sine igneo calore: quod ostendit facultatis tum animalis in expellendo, tum vitalis & naturalis in coquendo, integritatem, materiæ benignitatem, & meatus liberos: si denique aluus pauca

& cocta

& cocta excernat. Quod certissimum iudicium est, nullo modo partes naturales, cum spiritalibus, in consortium mali adduci.

Celeriter moriuntur empyici quibus contingunt omnia signa mala supradictis contraria, & maximè, si perseueret dolor lateris, cum suffocatione, additis sequentibus prauis signis: si putum, nigrum nempe, aut biliosum simul, ac purulentum, aut multum, feruor in gutture, stertor: si cum iis æger vim morbi molestè ferat, magnum & frequenter spiret, aucto incendio in pulmone & corde, siti torqueatur, ac costæ & thorax insigniter præ cæteris partibus, propter magnitudinem inflammationis, caleant. Tunc enim mortem in propinquo esse est pronuntiandum. Tardè ægrum seruatum iri coniectabimus, si signa mala cum bonis permisceantur, bonáq; & valida superent. Tunc enim seruabitur quidem æger, sed difficulter: sicut si mala bonis præualuerint, tardè morietur. Quibus, vt certius sit iudiciũ, addere oportet, temperamentum ægri, vires, tempus, locum & similia.

De prog. læsæ respirationis ab affectibus diaphragmatis.

Cap. XXV.

Inter alios diaphragmatis vsus, maximus ille iudicatur, quo liberæ respirationi subseruit,

Tenditur enim in inſpiratione, laxatur in expiratione, cui functioni cùm non poſſit ſatisfacere, quoties morbo aliquo laborat, non ſine ratione tunc temporis reſpiratio diminutè, aut etiam deprauatè læditur, pulſifica non omninò illæſa remanente: adde quod & cerebrum ipſum, cum quo magnum habet diaphragma conſenſum, in cõſortium huius malorum, etiam frigidorum adducitur. Ex multis itaque malis, quibus diaphragma, tanquam pars organica, cruciatur, duo potiſſimùm inſignia notat Hipp. inflammationem ſcilicet, & palpitationem; à quibus præter læſiones actionum, partium thoracicarum, delirium ſequitur: à palpitatione quidem, quæ ſoboles eſt flatuoſi ſpiritus, agitata nempe circa ſeptum tranſuerſum pituita putri, aut potiùs commotis quibuſdam calidis humoribus, quibus inflammationes in hac parte fieri conſueuerunt. Quod tamen delirium leue eſt, licèt continuum ſit, & ſimile veræ phrenitidi, à qua differt hac ratione, vt reſpiratio in vera phrenitide ſit magna & rara: in illo verò delirio, parua, denſa, inæqualis. Addit Gal. aliud ſignum huius diſtinctionis, vt reuulſionem hypochondriorum, in principio affectus inflammatorij diaphragmatis, cap. 2. lib. 5. de locis affectis. Et quoad prog. diaphragmatis inflammatio, ſi magna ſit, lethalis vt plurimùm eſt, ratione ſymptomatum quibus comitatur. Deprauat enim

non

non ſolùm reſpirationem: ſed etiam cor, iecur, & ventriculum coafficit, propter viciniam. Cerebrum verò, propter inſignem neruorũ communionem, & inſignem habituum euaporationem: vnde perpetuum ferè delirium, reſpiratio difficilis, tuſſis ſonora, concuſſio vehementiùs thorace à diaphragmate, febris ardens, dolor & grauitas circa extremas cartilagines extremarum coſtarum, nauſea, cibi faſtidium: auget ſiquidem mortis certitudinem, vehementia ſymptomatum.

De prag. ex tuſsi.

Cap. XXVI.

TVſſis ſpecies motus concuſſiui, quia eſt pulmonis malè affecti ſymptoma, nũquam excitatur quin pulmo ipſe & arteriæ ipſius aliquo modo offendantur; ſiue propria affectione laboret, vt in aſthmate, peripneumonia, vomica, tuberculo; ſiue per conſenſum aliarum partium, vt in affectibus membrorum reſpirationi ſeruientium, muſculorum nempe thoracis & diaphragmatis, gulæ, tracheæ, arteriæ, vt in gibbæ hepatis phlegmone, in hydrope, vt in affectibus capitis ab illabente catharro irritantur pulmones. Eſt autem tuſſis humida vel ſicca: illa habet vias expeditas, materiam ſequacem, & vires validas: hæc contra ſiue ab inflam-

matione pulmonum & aliarum partium cruda, ſiue à tuberculo, ſiue à craſſitie aut tenuitate materiæ, ſiue denique à virium debilitate pendeat : quæ tuſſis ſicca vel vehemens eſt & coacta, vel exigua & non coacta, ſed quæ facilè ſupprimi poteſt. Quibus ſuppoſitis varia ex tuſſi pro variis circunſtantiis prædici poſſunt : ab ætate quidem, vt in infantibus tuſſes deterrimæ iudicantur, quia impediunt reſpirationem & ſomnum, & aliquãdo ſuffocant, atque febres acutas & affectus comitiales in illis excitant: in ſenibus verò non quieſcunt, donec vires exolutæ fuerint per aphor. 40. lib. 2. *grauedines & diſtillationes coctionem in valdè ſenibus non admittunt.*

Tuſſis quæ ab acri diſtillatione fit, tabem minatus, præſertim in iuuene. Quæ ab vlcere, ſunt omnes lethales. Tuſſis quæ ſuperuenit hydropi, aliquando mala eſt : adaucti enim morbi ſymptoma eſt, cuius materiæ portio è capacitate ventris, per cæcos ductus, in pulmones regurgitat, & ſpiritales partes expugnat: aliquando non ita mala, vt ſi in hydrope adſit deſtillatio à capite complicata, vnde multa tuſſis cum multa expuitione; quæ cùm non ſit affectus hepatis ſymptoma, tuſſis per accidens dicitur. Tuſsis irrita, quæ à tumente & phlegmone affecto hepate fit, deterior eſt ; deterrima autem ſi habeat hydropem comitẽ. Eo enim tumore vel diaphragma opprimitur, vel ſuo pondere deorſum trahitur.

Alliga

Alligatur enim diaphragmati hepar quibuſdã fibris, quibus deorſum reuulſis vnà ſeptum trahitur & ab hoc membranæ quæ thoracem interiorem comprehendunt. Ex quo anguſtia ſpiritalibus inſtrumentis accidit, quæ mouet inanem tuſſiculam.


Tuſſis in febribus duplex ſolet contingere ſecundum Hipp. 6. epid. Vna ferina, ſic dicta, quia fit ab acri diſtillatione à cerebro, aut ab vlcere in pulmone & thorace, aut ab empyemate: altera non ferina, quę ſi habet leuem diſtillationem, ab externis cauſis, vt à frigore, aëre, vento, æſtu, &c potiùs contracta eſt, quàm à vitio cerebri, vel partium ſpiritalium. Spiritus enim alliſus in aſperitate, quam vel intemperies febrilis in faucibus & arteria facit, aut blanda diſtillatio, aut cibus exaſperans, tuſſiculam mouet. Quæ tuſſis, quia leui concuſſione à vicinis partibus benigniorem humiditatem exprimit, tum in pulmonem, tum in ventrẽ, ſícque eas partes irrigando, ac ſpiritu frigidiore temperãdo, ſitim ſedat: quam ob eam cauſam cõmendat Hipp. in febribus ardẽtibus aph. 34. his verbis: *Quibus ſiccæ tuſſes in febribus ardentibus paulùm irritãtes perſeuerãt, ij non admodum ſunt ſiticuloſi.* Efficit enim ne ægri immoderatè ſitiant pro ratione febris. Hæc igitur tuſſis quia non eſt ferina, leuiter & longioribus interuallis irritans, atque quia febrem & ſitim remittit, nihil habet periculi. Ferina verò

quia

quia breuibus interuallis viget, nec leuiter, sed vehementer thoracem contrahendo mouet, lacerat, calefacit, somno etiam priuat; &, quod maximè est metuendum, vires celerrimè prosternit; periculi plena est, & causa semper pessima ac maligna, præsertim per exacerbationes, aut accessiones febrium; in quibus aliquando tanta vis est distillationis, vt initio accessionis suffocentur ægri.

Finis Libri secundi.

Laus sit Christo, & B. Virgini Mariæ.



OPERIS PRO-GNOSTICI, QVI EST DE LÆSIONIBVS OPERA-tionum naturalium.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIVNCVLA.



NATVRALIS facultatis vna est princeps & præcipua pars, in qua sanguis, materia nutritionis omniũ membrorum corporis, fabricatur, hæpar nempe. Cuius operi perficiendo, adsunt multæ aliæ particulæ, in ventre infimo, omnes circa iecur, cominùs vel eminùs positæ: ventriculus scilicet, qui primus omnem alimenti materiam suscipit, cui primum coctionis rudimentum præbet: intestina, quæ suis gyris diutiùs chylum à ventriculo susceptum retinendo, tempus idoneùm distributioni præbent, & huius primæ coctionis excrementa repurgant.

gant: Venæ meſenterij, meliorem chyli portionem ad hepar ipſum deducunt: Veſicula fellea, lien, renes, & veſica, ſanguini repurgando ſunt deſtinata. Quarum omnium partium vitia, plùs minùs, præcipuæ operationi huius potentiæ, quæ hæmatoſis eſt, officiunt. De quibus malis ſecundùm noſtrum inſtitutum ſigillatim agere conſilium eſt, ab affectibus præcipuæ partis exordiendo.

De prog. affectuum quibus diminutè vel abolitè læditur ſanguificatio.

Capvt I.

Sanguificatio, quæ eſt, vt diximus præcipua iecinoris operatio, in multis eius affectionibus diminutè aut etiam abolitè læditur; vt in omni frigida intemperie, in ſcirrhoſo tumore, & maximè in qualibet hydropis ſpecie; in aliis plùs, vt in aſcite; in aliis minùs, vt in tympanite, hypoſarca. Et quia omnis vis præſagij pendet ab exacta morbi, in quo euentus quæritur, dignotione: quædam in genere de hydrope priùs ſunt ſupponenda, quàm de exitu cuiuſque ſpeciei certò poſſimus aliquid pronuntiare. Hydropis igitur (qui de ventre peculiariter, generaliter verò, de omnibus partibus, in quibus aqua colligitur, dici ſolet) tres ab omnibus conſtituun

ſtituuntur ſpecies, ex triplici ſanguificationis diminutæ errore, loco & materia diſtinctæ, anaſarca ſcilicet(quam aquam intercutem propriè appellant) aſcites & tympanites. Conueniunt omnes in tribus potiſſimùm;vt ſcilicet in omnibus ſit hepar ſemper pars affecta;vna cauſa immediata,refrigeratio nempe:atque eadem actio læſa,ſanguificatio fruſtrata. Eſt autem illa refrigeratio aut poſitiua & præſens, calori qui vim habet agendi contraria; aut priuatiua, à priuatione & reſolutione caloris natiui & formæ. Dicitur etiam caloris natiui abſentia,quam calor præter naturam genuit. Ex qua refrigerationis diſtinctione, triplicem hydropis geneſim conſtituimus: vnam ex intemperie frigida; quæ vulgò poſitiua dicitur; ex copia & vſu immoderato rerum frigidarum,& humidarum; aut à multitudine craſſorum humorum, viſcus ipſum opprimente eiúſque calorem paulatim minuente & quaſi extinguente, vt fieri ſolet in ſcirrho hepatis,in ſuppreſſa aliqua euacuatione ſolemni,in liene grauiter affecto, refluente ſanguine fœculento ad hepar: alteram ex immoderata euacuatione, vt in profuſione effrenata menſtruorum in mulieribus, quæ etiam in hydropem incidunt per fluorem muliebrem vocatum, in profluuio immoderato hæmorrhoidum: tertia hydropis generatio eſt à refrigeratione hepatis, quam intemperies calida, à calore

calore extraneo, calorem natiuum reſoluendo, inducit. Non enim ſolùm frigus refrigerat, ſed etiam calor extraneus ſubſtracto humido, & reſoluto calore natiuo: In qua ſpecie refrigerationis hepar calore igneo torretur & exiccatur ac proprio deſtituitur. Nam cùm hepatis caloris ſit ſanguificationem perficere, non quia calor eſt, ſed quia naturalis & in mediocri temperie conſtitutus; vtrinque extrema habet pro contrariis; in exceſſu nempe, calorem; in defectu frigus. Hepatis itaque calor parum refrigeratus, loco boni ſanguinis pituitam multam generat, parum auctus multam bilem: iam verò langueſcens & extinctioni proximus; ab exceſſu frigoris, accedente ſanguificationis priuatione, in carnoſum genus pituitam diffundit; quæ aſſimilari non poteſt: ab exceſſu verò caloris, humidum omne in flatus conuertit, non aliter quàm ignis aquam, vnde pro ſanguine flatus generantur: & tunc vel fit aſcites, cum flatus à frigore concreſcit, vel tympanites, cùm omninò non concreſcit: aſcites enim fit, cùm ſeroſus ſanguis & crudus, infirma expultrice hepatis, aut renum attractrice, in ſpaciū, quod inter peritoneum eſt, & partes ipſi ſubiacentes effunditur. Et hæc de generatione hydropis.

Quoad prog. non ſolùm hydropis præſentis exitum debet medicus prædicere: verùm etiam imminentem præcognoſcere, hoc in genere demon

demonſtrant, omnia quæ immodicè hepar refrigerant, aut valdè obſtruunt, aut febrili ardore torrent, aut denique multitudine & craſſitie obſtruunt. Particulatim futurum hydropem arguunt, graues iecoris ipſius affectus, iam inueterati: renum imbecilla ſecretrix; vnde fit vrinæ ſuppreſſio veſica vacua, ex quo ſolo vitio hydropem interdum naſci putat Paulus: morbi acuti potiſſimum in ieiuno inteſtino, & meſenterio, qui neque criſi, neque ſuppuratione finem habent: & extra febrem malus corporis habitus, quem cachexiam vocant. Ex quibus vitiis alij tympanitem denuntiant; qualis eſt hectica intemperies ieiuni inteſtini, conflata ex dolorifica & diuturna inflammatione; alij hypoſarcã, vt cachexia; alij aſcitem, vt ſunt peculiares iecoris affectus, & renum imbecillitas.

De exitu autem hydropis hoc in genere eſt prædicendum, vt ſolùm illum, vel naturæ beneficio, vel artificio medici curari poſſe putemus, qui ex ſola ſeri collectione & ſuppreſſione, aut materiæ flatuoſa copia, ortum habet: ſine ſcirrho hepatis confirmato, aut ſine corruptela ſubſtantiæ eiuſdem, aut ſine maraſmo retorrido, aut hectica intemperie inteſtinorum: vbi enim ex his vitiis aliquod in viſceribus latet, fruſtra flatus diſcutitur, aut aqua vacuatur, niſi vrgenti ſymptomati tantum occurras. Poſſunt enim aluo commota multa expurgari, indéque ven-

ter detumeſcere, vt meliùs habere per aliquòd tempus ægri videantur. Verùm inſanabili viſcerum manente vitio, recrudeſcit malum, eóque magis mortiferum, quàm ante, quò vires infirmiores ſunt. Tum ex diuturnitate morbi, tum ex multa ſpiritus diſſipatione in effuſione aquæ, & viſcera quæ circumfuſa vndique materia tanquam fulcimento ſubleuabantur deorsũ magis inclinant, ſimúlque diaphragma & partes in thorace contentas reuellunt: vnde animi deliquia exiſtunt & vires deiiciuntur, quarum iactura reſarciri non facilè poteſt. Et ob eam cauſam Hipp.aph.27. libr.6. præcipit ne in ſuppuratis vſtione, neque paracenteſi in hydropicis, vacuatio vniuerſim & confertim fiat. Quare cùm hydrops aliquantulum alleuari videtur, poſtea redit, deſperatio eſt, quia ex perenni materiæ generatione pendet.

Ex omnibus hydropis ſpeciebus, grauiſſima ea æſtimatur, quæ acuto morbo ſuperuenit, ſiue ſequatur ad inflammationem ilium & lumborum (quæ partes facilè hepar in conſortium trahunt) ſiue ad inflammationem ipſius hepatis. Priorem hydropem exitialem, duo ſuperuenientia ſignificant: tumor nempe pedum œdematoſus, & longum ac pertinax alui profluuiũ. Illud quamuis ſymptoma ſit commune omnibus hydropis ſpeciebus: non tamen in aliis æquè eſt periculoſus. Pendet enim hic à malignitate morbi,

morbi, quo natiuus calor tum in ventriculo, tum in hepate languens ex antecedente morbo, ferè resolutus est, adde quòd in hac specie hydropis, venter, crura & pedes intumescunt: non ex febris materia loco mota: sed à noui excrementi à iecore malè affecto, generatione. Permanet enim visceris flammea dispositio, quasi fomes febris, noua interim excitata putredine, nouáque cachochymiæ generatione, per sanguificationis priuationem. Lethales sunt itaque hydropes huius generis,& dolorifici magis,quàm reliquæ species. Quia præter symptomatum vehementiam, & curationis difficultatem, calore natiuo penè extincto, in corpus liquatum alio morbo incidunt atque hominem iam confectis viribus celeriter extingunt. Alterum symptoma huic hydropi succedens, erat longum & pertinax alui profluuium, iudicatorium non iudicans,perpetuò succrescente noua cachochymia, cuius causa est triplex. Vna imbecillitas venarum,quibus quasi manibus iecur ad se trahit alimentum : cuius imbecillitatis causa est intemperies hectica ; & quod iecur in consortium mali adductum non conuenienter trahit, nec in mesenterio inchoatur ampliùs hæmatosis, vnde hoc profluuium ad lienteriam est referendum. Altera causa esse potest obstructio à putredine & phlegmone, quæ impedit distributionem. Tertia alimenti corruptio &

perennis bilioſi excrementi coaceruatio, tum à putredine, tum ab inflammatione & vehementi calore ieiuni inteſtini & meſenterij: ex quibus vehementer morderi inteſtina, & irritari ad excretionem eorum quæ infeſtant, neceſſe eſt; & hic alui fluor diarrhœa dici debet: quo tamen fluxu ſymptomatico, nec dolores ſedantur, nec ventris tumor ſubſidet, quia internus ardor & intemperies hectica manet. De hac ſpecie hydropis extat aph. in coac. animaduerſionibus. *Quibus ex ilibus oriuntur hydropes, iis pedes intumeſcunt, & diuturna alui profluuia comitantur, quæ neque ventrem inaniunt, neque dolores ſoluunt, qui ex ilibus & lumbis oriuntur.*

Altera erat hydropis ſpecies ſuccedens à flammea diſpoſitione hepatis. Cuius prognoſis colligitur ex ſymptomatibus, quibuſdam quæ progreſſo morbo contingunt. Qualia ſunt tuſſis ſicca, tumor pedum, & circa ventrem modò deſinens modò exurgẽs, & aluus ſicca. Quorum alia periculoſiorem affectum ſignificant, alia minùs periculoſum. Tuſſis ſiquidem hydropi ſuccedens, pernitioſiſſimum ſignum eſt per aph. 35. lib. 6. *Hydropicis tuſſis ſi ſuperueniat, malum.* Quod, vt intelligatur de qua tuſſi verificetur. Sciendum tribus de cauſis tuſſire hydropicos, vna eſt per accidens à diſtillatione à cerebro cum hydrope complicata; qua tuſſi multa extuſſiuntur. Altera eſt vitioſi hepatis nota, & hydropis

dropis ab hepate propria : quæ tuſſis irrita dicitur, è qua nihil dictu dignum expuitur : in ea enim opprimitur diaphragma ab hepate propter tumorem ipſius hepatis, vel detrahitur propter grauitatem. Tertia tuſſis hydropicis ſuperueniens, vera, vehemens, & difficilis dicitur à materia contenta in pulmone, quæ vi morbi & præ copia è capacitate ventris cæcis ductibus eò regurgitat, & præſidia vitæ ac ſpiritales partes expugnat : quæ tuſſis hydropis deſperati eſt ſignum, per aph.47. *Si hydropicum tuſſis habeat, deſperatus eſt.*

De prog. Hepaticorum.

Cap. II.

HEpatici propria ſignificatione medicis dicuntur, quibus hepar ita infirmum eſt vt iam deſit ſuo officio fungi, neque ſanguinem naturæ conuenientem gignit : nullo tumore, non ſcirrho, non œdemate, aut nullo manifeſto in viſcere malo. Quod vbi accidit, vniuerſum corpus pati neceſſe eſt, quia deteriùs alatur, vnde cachexia & hydropis metus. Diminutè ergo aut etiam deprauatè in hepaticis ſit ſanguificatio. Huius imbecillitatis cauſa, eſt intemperiei calidæ aut frigidæ exceſſus, non quidem omnis, ſed ſub quo humores qui venis & arteriis

continentur, qualitate aut copia plurimùm à natura recesserunt: vnde visceris integritas, vel propria substantia, quam parenchyma Græci vocât, dissoluitur, labefactatur, & corrumpitur.

Duo signorum genera consideramus in hepaticis. Vnum eorum quę pathognomonica dicuntur. Alterum eorum quæ epigenimata & superuenientia, illa ad diagnosim pertinent. Sumuntúrque à colore albicante, subcitrino, aut subuiridi & fusco, atque ab excrementis alui & vesicæ: nam in sanguificatione, infirma attractrice, chylosa deiiciũtur; alteratrice & retentrice, rubra alui proluuies loturæ carnium aut sanguinis aqua diluti similis. Hæc verò ad prognosim spectant: quia vi adaucti morbi superueniunt, & è quibus de salute aut morte præsagium sumitur: cuius generis sunt ea, quæ cum excrementis alui & vesicæ excernuntur, & quæ in toto corpore apparent, atque quæ à partibus vicinis ortis & coniunctis mali primigenij contagio eueniunt.

Hepaticos igitur deploratos iudicamus, in quibus colliquari corpus, aut hepar tantùm & particulariter, ex vrinis & deiectionibus videmus. In principio enim colliquationis vrinæ oleosæ apparent. Cum verò colore & consistentia quid veluti oleum fuerit, tum affectionis status signum est. Differunt autem hæ vrinæ oleosæ, ab his quæ excernuntur à resolutione

pingue

pinguedinis renum: hîc enim vniuersum & celeriter excernuntur, propter minùs interuallum: at in pinguedine totius, non celeriter, sed tardè & paulatim, pingui scilicet colliquato per longos venarum amphractus tandem ad renes perueniente. Quam distinctionem notat aph. 35. lib. 7. his verbis: *Quibus in vrinis adipalis superficies & conferta, iis nephriticum & acutum morbum significat.*

Vrinæ in particulari colliquatione hepatis, excernuntur cum orobea substantia & pultacea: quia à febrili calore, molliori carne in tenuem humorem soluta, partes solidæ ac duræ, perinde ac in sartagine torrentur, arefactæ contabescunt. Idem est iudicium de deiectionibus, quæ tandem in hepaticis nigræ apparent. Assatur enim sanguis, vel excedente propter calorem coctrice (siue à putredine in frigido affectu fiat calor præter naturam, siue aliter) vel subsistente plus æquo sanguine in iecore, nec distributo, quoniam modicus etiã calor mora exiccat, vrit, & indurat.

Hepaticis quoque superuenit raucedo & tussis, cum è supernis partibus colliquatio, guttur & asperam arteriam irrigat, signo suspecto. Hepaticis succedit venarum prominentia: non quia sanguis multus generetur; sed quia in carnoso genere virtus imbecilla, ex venis & arteriis corruptum alimentum non trahit, vnde ve-

næ vitioſo ſanguine plenæ & liuidæ apparent. Non ſecus atque in ſuppreſſis menſibus, & hæmorrhoidibus. Hepaticis tandem ſuperuenit ſputum cruentum lethali ſigno: Cùm enim in hoc affectu ſanguis ſit ſemper vitioſus, ſi ſeroſior ſit, facilè tranſcolatur; ſi calidior putreſcit, aut vritur, facítq; vt tum particula in qua ineſt, tum quæ vicina ſunt, calidiora ſentiantur, & venas irritet, aut tumorem aliquem, aut vlcus excitet: Spuitur autem ſanguis hepaticis, vi adaucti morbi, tribus de cauſis, venarum imbecillitate (condoleſcunt enim iecori malè affecto, vt potè ſuæ origini) ſanguinis praua qualitate, & plenitudine ad vires in venis. De qua ſpuitione extat aph. in coac. his verbis: *Quibus hepaticis multum ſputum cruentum, ſiue ſubputridum, ſiue bilioſum meracum, ſtatim lethale*. Magnum ſiquidem affectum eſſe oportet, in quo, neque hepar per loca conuenientia expurgari poteſt, & partes ſupra ſeptum omnes in conſortium mali adductæ ſunt.

De prog. inflammationis hepatis.

Cap. III.

Deprauatè læditur ſanguificatio ab inflammatione hepatis, ſiue in caua, ſiue in gibba parte fiat. Corrumpitur enim ſanguis, & limites

mites coctionis excedit, dum iecur inflammatur, ſicut in affectibus frigidis huius viſceris recrudeſcit & imperfectè coquitur. Demonſtratur vtriuſque loci inflammatio, diuerſis ſymptomatibus. Caua enim pars quæ ventriculum & inteſtina contingit, inflammatione obſeſſa, in ventriculo parit cibi faſtidium, nauſeam, vomitum bilioſum, ingentem ſitim, ſingultum: in inteſtinis tormina fiũt, in lateribus grauis & laborioſus decubit⁹ ſiniſter, tumor tactui minimè obuius. Conuexa verò parte inflammata, thorax, cui pars illa communicat, magis afficitur, ac ſpiratio læditur per oppreſſionem diaphragmatis & membranæ ſuccingentis tenſionem, vt inter reſpirandum ponderis ſenſum ægri percipiant, tuſſiant, nec tamen quicquam excreẽt, ac dextræ partis iugulum detrahi ſibi putent: eſtque his hepaticis decubitus dexter difficilis & dolorificus. Et quoad prognoſim, multiplex eſt exitus huius viſceris phlegmones, pro natura inflammationis, copia humoris, & varietate loci, in quo præcipuè ſanguis feruet, membranæ, nempe, carnis, & venarum portæ, & cauæ. Nam phlegmone eriſypelatodes, propter febrem vehementiſſimam, in marcorem deſinit, quia ardor cordi proximus eſt & alimenta deurit. Poſt vigeſimum diem ſi febris maneat nec reſideat tumor, in ſuppurationem conuertitur, è qua pus, ſiquidem intra tunicas contineatur,

L 5

nihil patiente ſubſtantia hepatis, vtiliter & ſuperſtite ægro vacuari poteſt. Sin ad carnem vſque corruptio peruenerit, ex incocta putredine, fæci olei ſimile pus exit; quod planè lethale eſt. Inflammatio conuexæ partis hepatis iudicatur vel hæmorrhagia per nares, vel ſuppuratione, vt dictum eſt, vel ſudoribus bonis, vel vrinis multis. Cauæ, deiectionibus bilioſis, ſudoribus, nonnunquam vomitu, aut abſceſſu ad coxas & crura. Et quemadmodum aliquando contingit, vt gibba parte inflammata proſit hæmorrhagia, ſanguine ad ſuperiores partes propter feruorem aſcendẽte; ita in caua per meſenterij venas, aut hæmorrhoidas, è vena caua ſanguis interdum commodè in aluum deponitur: aduenit tamen interdum, vt per eiuſmodi hepatis inflammationes cruenta deiectio non modò non liberet ægrum, ſed morbum & periculum grauiter augeat. Quod ſi hæ duæ inflammationes conferantur inter ſe, quæ conuexam partem occupat, quamuis minùs vulgus terret, plus tamen periculi habet; quia nobilior pars iecinoris phlegmone laborat, in qua videlicet coctus iam purgatúſque ſanguis continetur, & quæ magis thoraci ac cordi communicat.

De

De prognosticis corruptæ sanguificationis à vitiis lienis.

Cap. IIII.

Lienem ex aduerso hepatis natura construxit, vt expurgato fæculentis sordibus hepate, sanguis syncerior & purior euadat. Sunt autem varij affectus, quibus illud ministerium lienis impeditur, vnde sequitur sanguificationis deprauatio. Eius imbecillitas nempe: tumor laxus sine scirrho, nec admodum renitens, ex aquoso & crudo humore, aut melancholico ac terreno cum multo flatu: obstructio venarum & arteriarum, à crassiore humore, cum solius grauitatis sensu, aut totius substantiæ cum tumore duro: Scirrhus durus & valdè renitens: inflammatio cum febre acuta, quam significat linguæ nigredo, sitis implacabilis, sinistri hypochondrij distentio, tumor & dolor pulsans, atra bilis in liene viciníſque locis congesta, sine tumore, cum multo flatu, tactúque quasi ex lebetis aqua subdito igne, cum palpitatione cordis, faciei per interualla rubore, metu, tristitia. Quorum affectuum quolibet qui afficiuntur, dicuntur ab Hippocrate & Galeno, splenici. De quorum prognosi Areteus in libro de causis & signis morborum diuturnorum, ait: omnes lienis morbos esse diuturnos, quia tendunt potiùs ad

ad ſcirrhum, quàm ad ſuppuratum. Auicennas quoque exiſtimat, morbum calidum lienis eſſe rarum, quia vi caloris ſanguis incraſſatur, & induratur lien. Inflammatione tamen tentari lienem, probat experientia, & autoritas ſummi Hipp. quibus accedit ratio ab ipſius lienis compoſitione: conſtat enim ſubſtantia tenui & rara, arteriarúmque multitudine: adde quod nutritur parte tenuiore ſanguinis melancholici, & fluxionibus extrinſecus contingentibus facilè tentatur. Quod etiam affirmat cap. 3. libr. 3. de criſibus, vbi ait Gal. acutam lienis inflammationem finiri fluxione ſanguinis per narem ſiniſtram, & ſudoribus. Aliæ autem lienis ægritudines quæ ex craſſo ſucco ſunt, egent euacuatione, per aluum ſcilicet, per hæmorrhoidas, per ventriculum, nonnunquam per vrinas, facta via per cœliacam arteriam, aut refluente humore à liene ad hepar. Cui tamen ſententiæ repugnat Gal. cap. 17. 13. libri methodi medendi; vbi docet ex ſitu partis lienem expurgari per alui fluxum, non autem per vrinas. Vrinæ tamen nigrę, quæ à liene inflammato excernuntur, priorem ſententiam confirmant. Hipp. 6. epid. inclinationem humorum in liene peccantium, deprehendit, ex figura & ſitu tumoris: ita vt exiſtimet, tumorem, qui in parte inferiore lienis, durus eſt, quia deorſum vergit, aut quia prauos humores quos in ſe continet, in partes inferio-

res

res propellit, per inferiora solui, & de hoc tumore intelligatur illud Hippocratis. *In liene catarrhopi genua & pedes calidos esse, nares verò & aures frigidas. Tumor autem rotundus simul est anarrhopi & catarrhopi.* Quare humor quo intumuit liem, interdum abscessum facit in crure sinistro, sæpissimè per hæmorrhoidas, aut per intestina expurgatur: interdum è directo sursum versus per nares hæmorrhagia euacuatur, præsertim si sit tumor inflammatorius. Ad prog. quoque pertinet illud Auicēnæ fen 15. tractatu primo, lib. 3. cap. 2. Splene intumescente, hepar & vniuersum corpus arescere, vnde sequitur pauca hematosis cuius bonam partem lien inflammatus trahit: quo fit vt reliquum corpus destitutum alimento, tabescat: & hoc est quod Hipp. inquit, *Lienosos esse humeris, iugulis, & facie tenues.* Huius partis tumores raro in suppurationem terminantur, cuius rei hæc est demōstratio. Quatuor in suppuratione concurrunt, loci nempe conditio, vt sit pars mollis & calida, humor calidus temperamento, febris continua, & facultas valida: at lien paulò durior, & minùs calidus eius humor, febris intermittens est: ideò minùs suppuratur. Et tandem si splenicus eò deuenerit, vt color corporis sit plumbi-formis & parua vlcuscula in tibiis emanantia tandem magna fiant: síntque, quæ per aluum excernuntur sanguinolenta & eruginosa, sitque venter & splen ipse durus

durus vt lapis: additis quibuſdam aliis ſignis ſuperuenientibus, affectum neceſſariò lethalem eſſe pronuntiabimus.

De prog. læſæ ſanguificationis à vitiis ventriculi.

CAPVT V.

SAnguificationem malè fieri ex malis quæ ventriculo accidunt, quibus diminutè, abolitè, vel deprauatè ſe gerit circa cibos ingeſtos, probatur ex his quæ ſcribit Gal. cap. vltimo lib. 4. de ſanitate tuenda. Quibus nititur demonſtrare, vitia primæ concoctionis non poſſe in ſecunda emendari, & huius in tertia, quæ fit in carne & membris, hoc argumento: Quemadmodum ſe habet ea præparatio quæ elixatione, aut aſſatione fit ad coctionem ventriculi, ita hæc ad coctionem hepatis, ſe habet enim hepar ad ventriculum, ſicut ventriculus ad externam præparationem: cuius partis tanta eſt vtilitas & dignitas, vt ea ſola affecta, per medium hepar, totum corpus immutetur, & alterationem ſuſcipiat. Quod intellexiſſe videtur Hipp. ſect. 4. libr. 6. epid. non procul à fine, his verbis: *Ventriculo calidi, carne frigidi & tenues eminentes venas habent, & iracundiores ſunt.* Quem locum ita interpretatur Laurentius doctiſſimus in operibus anatomicis, capite de ventriculo: ventri

ventriculus , inquit, æſtuoſus chylum gignit nidorulentum & ſemiputrem : ex praua chyloſi non fit laudabilis hæmatoſis : impurum ſanguinem carnes non trahunt: ita ſuo genio & viuifico nectare defraudatæ,refrigerantur, quia tantum habemus caloris quantum ſanguinis: venæ autem impuro ſanguine oppletæ,turgent. Hinc iracundia, accenſis & putreſcentibus ſuccis, prohibita tranſpiratione.Huius membri dignitatem oſtendunt etiam hæc Hipp. verba, ex libro de humoribus circa medium accepta: *Quemadmodum arboribus terra, ita animalibus ventriculus,nutrit & calefacit,& refrigerat*,& ſect. 3. lib. 6.epid *Ventris ſegnities omnium confuſio vaſorúmque impuritas.* Ex quibus colligimus,quoties vel minimùm afficitur vẽtriculus, vel diututna officij vacuitate ignauior redditur & quaſi ſui immemor , corruat ſtatim & labatur naturalis œconomia: cuius conſtitutionem ab hæmatoſi pendere certiſſimum eſt : quæ quidem vix vnquam malè fieri poteſt, modò ventriculus cibos conuenienter appetat, deuoratos retineat, retentos concoquat & immutet, ac tempeſtiuè expellat quæ expellenda veniunt.Quæ munera multi affectus quibus eſt hæc pars obnoxia,vel diminutè,vel abolitè,vel deprauatè lædunt.

De

De prog. inappetentiæ vel cibi fastidij.

Cap. VI.

QVandoquidem non contingit animalibus quod & plantis, vt suo cibo semper hæreant: ideo natura sagax & prouidens, siue potiùs autor naturæ, animalia quadam particula muniuit, quæ sensum defectus alimenti haberet. Quæ nulla alia in toto animali, quàm stomachus esse potest, qui ob id constitus est ex portione neruorum sextæ coniugationis. Læditur itaque animalis appetẽtia (vt ante ea dictum est) aut diminutè, aut abolitè, aut deprauatè. Duorum priorum modorum varij sunt gradus: aut enim æger ita abalienatur à cibo, vt mori malit quàm aliquid gustare sustineat: aut quædam requirens, oblata fastidiosè respuit: aut denique nihil appetit, gustat tamen nonnulla. Cuius inappetentiæ, siue primaria affectione ventriculi, siue per consensum fiat, tot sunt caussæ, quot in fame per contrarium coïre necesse est. Vna est minima inanitio, vt in frigido sicco habitu senum: altera languidus venarũ suctus, vt in resoluta aut imbecilla facultate alente & naturali hepatis. Hæc enim facultas cùm per venas mesaraicas (quibus tanquam manibus iecur vtitur) amplius alimentum non trahit, nec

suctus

nec suctus sensus vllus est, tunc grauissimæ inappetentiæ sequuntur. Tertia inappetentię causa est laxatio ventriculi ab humore calido in ipsum effuso. Quarta est extinctio suctionis sensus in ore ventriculi, vt in moribundis. Additur quinta à deprauata animali facultate, vt phreniticis. Quibus suppositis, non erit difficile, ex hoc symptomate prognosticum colligere, vt illa sit grauior & periculosior inappetentia, quæ à grauiori causa & periculosiori morbo sequitur, hoc in primis etiam supponendo, quòd nec ex integra, aut parum violata appetentia, de salute; nec ex deiecta, de morte statim sit præsagiendum, sine aliorum superuenientium signorum additione: hoc quoq; in hoc symptomate considerandum venit, vt quemadmodum progrediente morbo ad salutem, vis appetendi paulatim reuiuiscit; ita inclinante ad exitum, paulatim elanguescit. Inappetentia in conualescentibus, qui quamuis nihil appetant, gustant tamen nonnulla, minatur recidiuam. Inappetentia siue anorexia, quæ alui profluuio coniungitur, lethalis æstimatur, inclinante malo ad exitium. Nam in quo multùm ali corpus repararíque celeriter debet, si natura quod sibi deest non sentit, vel impedita, vel extinctioni propinqua, ieiunitate, siccitate & inopia conficitur. Calórq; natiuus pabulo defraudatus, extinguitur.

De prog. appetentiæ deprauatæ.

Cap. VII.

QVemadmodum natura ad propagationem conseruandæ speciei, genitalibus membris quandam molestiam seminis retenti indidit: ita ad conseruationem indiuidui, alimenti necessarij sensum in ore ventriculi impressit. Cuius defectus querimonia, fames nuncupatur: quæ vel naturalis est, non pendens ab aliqua causa præter naturam, sed à sola suctione vasorum, partibus scilicet nutritioni dicatis, integris, & suo munere perfungentibus: vel innaturalis, qua vel plura alimenta quam ventriculus conficere possit, expetuntur; vel absurdi alij cibi deuorantur: in illa fame deprauatio est circa quantitatem, in hac circa qualitatem: hæc pica Latinis, citta & malacia Gręcis dicitur, qua non cibos, sed prauas qualitates expetunt ægri, vt acida, acerba, acria, carbones, gypsim, &c. Illa canina appetētia & bulimus appellatur; quamuis canina sit generalior, bulimus magis particularis, habens deliquium animi. Quoad prog. canina appetētia & bulimus, quia habent causam magis vel minùs frigidam (vt intemp. frigidam, pituitam acidam, humorem melancholicum, superius orificium ventriculi corrugantem sua aciditate) vix vnquam morbis acu-

tis

tis contingunt. Conualeſcentes autem plura appetunt, quàm conficere poſſint, duabus de cauſis: vna ob triplicis ſubſtantiæ deperditionem, & atrophiam in morbis diuturnis; quæ inanitio poſt adipem & carnes, ad ſolidarum partium natiuum humorem conuertitur: altera eſt excitatus ſuctionis ſenſus in ventriculo, à vitioſo humore acido, vt in hac appetentia canina.

In omni igitur tali inconſueta appetentia, cibo non refici malum pronuntiat Hipp. aph. 31. lib. 2 & recidiuæ ſignum. Alimenta enim ſuperfluè ingeſta, quia cruda, non nutriunt, quia multa, grauant. Si verò perſpirationem impediant, ſpiramenta obſtruendo, calorem extingunt, aut prauum humorem regenerant, & relictum augent, vnde recidiua. Auget naturæ infirmitatem, mutatio infenſa naturæ, ab otio ad negotium, vt ait Hipp. libro de dieta in acutis, ex quibus confirmatur veritas aphoriſmi illius, *quæ longo tempore ſunt extenuata corpora, lente reficere oportet.*

Deſinit canina appetentia in celiacam affectionem, aut in dyſenteriam, vt ait Paulus, aut in aquam intercutem. Si ad conſuetudinem vomendi peruenerint ægri, cùm alios ingerant cibos, prioribus nondum confectis, atque ſi diutiùs perduret & in bulimum permutetur, interdum in ſoporem, aliàs ad mortem terminatur.

M 2

Malaciæ prognosis, alia in grauidis, quæ ferè à conceptu circa quadragesimum diem, in nonnullis ad quartum mensem vsque durat: alia in pueris & puellis colligitur; in illis certo tempore, partim vomitione, partim coctione, partim quia grandiore facto fœtu, plurimo alimento indiget, finitur; in his verò quia à corruptione in toto corpore, quæ ori ventriculi communicatur, contingit, in febrem syncopalem, quam vulgo humorosam vocant, desinit, cùm animi deliquio & virium exolutione, multo & crasso humore, ex multis cruditatibus in ventriculo redundante, qui caloris meatus intercipit & curationem difficilem reddit, virtute necessariæ purgationi repugnante. Coniungitur necessario virium exolutio & infirmitas sanguinis corruptioni, propter spirituum & humorum paucitatem & prauitatem. Sunt enim vires in spiritu & sanguine ac partibus solidis, nihilque ferè aliud est natura quàm partium solidarum virtus.

De prog. à siti præter naturam.

Cap. VIII.

QVia eius partis est potionis penuriam percipere, cuius & cibi præsagia quæ sumuntur à siti non naturali, ponenda erant post famem.

mem. Quemadmodum ergo ſitis, qua naturaliter ſtomachus incitatur ad potionis appetentiam, ſequitur cibi ſolidioris aſſumptionem (cuius vſus potiſſimùm eſſe putatur, vt tāquam vehiculum cibi diſtributioni ſubſeruiat, non vt reſolutionem partium humidarum reparet) ita ſitis præter naturam ſequitur ad intemperiem calidam & ſiccam excedentem, qualis eſt in febre biliosa. Eſt autem ſitis eiuſmodi duplex: Vna ſuperficiaria, areſcente tantùm œſophagi ductu, aut incaleſcente, per quem humidum ex ore in ventriculum fertur. Quam ſitim Hipp. ſect. 3.6. epid. appellat leuem & paruam, quę neque in vniuerſo corpore fiat, neque à magna partium affectione. Altera vehemens & inexplebilis, qualis eſt in ardētibus & acutiſſimis febribus, in quibus lingua eſt perarida. Excitatur enim incendio febrili in toto corpore æſtuante, & potiſſimùm in ventriculo, pulmone, & ieiuno inteſtino, aut humore ſalſo vel bilioſo ventriculi tunicas perſtringente. In hac æger calore & ſiccitate areſcens, aut calidi & acri humoris morſu vellicatus, quamuis aquam gelidam bibat, releuari quidem aliquantulum poteſt: ſed tamen expleri & ſatiari non poteſt. Illa facilè tum ſedatur, tum reuertitur ſine periculo, nam ante ſomnum excitata, per ſomnum quieſcit, ſanguine intrò recurrente, & humeſcentibus interioribus. Ex ſomno autem orta à

vapore calido cibi qui concoquitur, aut vino meraciori in cœna sumpto, per vigiliam vacuato ventre & vapore illo discusso, sedatur. Hæc ad prognosim erant prænotanda; ad quam pertinet etiam scire, ardentes febres & biliosas (quarum potissimùm est hæc sitis) non semper siti respondere, vt in inflammatione oris ventriculi, quod magis arescit, quàm cor aduratur. Sicut etiam in nonnullis febribus, vbi venter abundat humiditate, aut facultas sentiens extinguitur, minor est sitis, quàm pro febris ratione.

Ergo sitis, quæ in ardente febre paulò ante inexplebilis fuerat, sine artificio medici quieuisse videtur, manente febre cum lingua sicca & aspera, signum est, vel mentem laborare, vel facultatem sentiendi in ventriculo esse extinctam, per aph. *Sitis in acutis quæ citra rationem soluitur, omninò mala.* Minùs tamen malum est, si solùm ad tempus sitire desinat æger, aut minùs sitiat, quàm pro ratione febris, impedita tantùm non emortua appetendi facultate: pernitiosissimum si potum & cibum omninò aduersetur. Est enim signum extremi langoris, in facultate naturali hepatis. Vtrùm autem eiusmodi sitis solutio falsò credita, pendeat à læsione mentis (quæ spem salutis omninò non adimit) vel ab extinctione caloris natiui & facultatis (quæ planè lethalis est) alia signa superuenientia ostendunt,

dunt,

dunt; qualia sunt sudores diutissimi & perseuerantes frigidi, quibus extrema non recalescunt, sed liuida & frigida remanent; vrinæ nigræ, tenues, & paucæ; alui suppressio; surditas confertim facta; vigiliæ; lingua sicca & arida; quæ omnia inualescentis morbi signa sunt, & naturæ fatiscentis. Quòd si æger modò sit expers sitis manente causa, modò vehementer sitiat; ea vicissitudo indicat suctionis sensum non fieri, aliò distracta mente & læsa, quæ per interualla tantùm speciem apprehendit, provt magis vel minùs vrgetur à causa sitifera. Idem enim in his contingit, quod in phreniticis, qui die ac nocte integra vrinam retinent, mente scilicet non apprehendente corporis affectionem, nisi vbi collecta magna vrinæ copia, ita distendit, aut irritat vesicam, vt mens ad se redeat. Non obmittendum quod quæri solet, vtrùm sitis defectus sit peior, quàm defectus appetitus. Respondetur, in morbis longis non appetere deterius est, quàm non sitire: in acutis contrà, in quibus vt plurimùm est causa sitis.

De prog. læsionum primæ concoctionis.

Cap. IX.

Prima concoctio, (quæ nihil aliud est quàm caloris naturalis vẽtriculi actio, ad æquan-

dos cibos,vt alere poſſint,& in ſanguinem conuerti, ſimulátque in iecur peruenerint) læditur diminutè, abolitè & deprauatè, aut per proprios ventriculi morbos, aut à vitioſis humoribus in ipſo accumulatis, aut ab alimentorum qualitate. Diminutè quidem & abolitè,per frigidam intemperiem ventriculi,ſiue ſimplex ſit, ſiue cum humore coniuncta, ſiue primaria eius affectione, ſiue per conſenſum cum aliis partibus,ſit contracta. Hinc oritur vitium,quod Latini cruditatem appellant: quo nomine abſolutè hanc læſionem intelligimus, apepſiam vocãt Græci, cum coctionis adeſt omnimoda priuatio; dyſpepſiam, cùm ſola imbecillitas & tarditas, quam imbecillitatem ſeu coctionis priuationem,ſequitur lienteria & cœliaca paſſio: differunt enim ſola maioris minoríſque ratione. Deprauatè autem læditur hæc coctio (quod vitium Græci bradypepſiam dicunt) ab intemperie calida ventriculi,ab eius inflammatione, ab vlcere, ab aphthis, &c. hinc cholera morbus appellatus, diarrhœa, & alia alui profluuia, quæ etiam inteſtinorum affectus dicuntur.

De prog. lienteriæ & cœliacæ affectionis.

Cap. X.

Lienteria & cœliaca paſſio, diminutæ & abolitæ coctionis ſunt ſymptomata. Differunt

runt enim, vt dictum est, solùm secundùm magis & minùs. Vnde Paulus Ægineta confundit lienteriam cum cœliaca passione, in qua tamen tanta cruditas non est, vt alimenti assumpti species apertè internoscatur. In cœliacis enim, alimentum quidem liquatur, sed nec integrè coquitur, nec distribuitur, ob ídque per aluum ex medio chylosa descendunt, ex anadoseos interceptione. Differt etiam lienteria à diarrhœa, in qua humor deiicitur syncerior, vt biliosus aut pituitosus. Quæ distinctio facit ad prognosim, sicut causarum lienteriæ cognitio. Non igitur apud Hipp. lienteria semper est lenitas superficiei internæ intestinorum, quæ cùm rugosa esse debeat, à pituita hærente lubrica reddatur: sed potiùs est velox à ventriculo & intestinis alimenti incocti nec liquati exitus: vnde sequitur vt eiusmodi festiuus exitus causa sit cruditatis, non cruditas exitus intempestiui, siquidem coqui alimentum non potest, quia conuenienti tempore non retinetur. Alia ergo causa inuestigāda est, quæ nulla alia esse potest, quam imbecillitas cibi continendi, cuius tres præcipuas causas assignat Gal. comment. in aph. 12. libr. 4. in aph. 22. libr. 3. & comment. ad sent. 36. sect. 2. lib. 1. epid. Vna est intemperies frigida & humida ventriculi, & intestinorum. Altera est pituitosa è cerebro defluxio. Tertia exulceratio summas ventriculi partes occupans. Quibus

omnibus causis ventriculi munus retinendi debilitatur. Nam si ventriculus villorum beneficio, & siccitatis atque caloris, quo contrahit villos, temperamento, suo retinendi officio fungitur: sequitur vt vel impediatur, vel deficiat. Primò opposita intemperie frigiditatis & humiditatis, quæ vel adhuc fit, vel facta est & hectica. Secundò pituitosæ defluxionis acidæ aut salsæ occasione; quæ vel intemperiem illam imprimit, ex qua resoluitur facultas retentrix; vel acrimonia admista, irritat intestina ad præcipitem exclusionem; vel lubrica fluxáque conditione substantiæ, delabi facit alimentum. Tertiò exulcerationibus superficiem internam vẽtriculi occupantibus, quæ vt in stranguria vesicam, sic ventriculum & intestina ad exclusionem cibi præcipitem irritent. Quibus causis prænotatis, facilè est prognosim colligere, ita vt ea lienteria sit periculosior, quæ à deteriori causa oritur. Nam quæ malignam & venenatam causam habet in ventre, vt phlegmonem, vlcus, hecticam intemperiem, quæ diuturna est & cum dolore, ac ventris tortione (diuturnitas enim ostendit causæ efficientis pertinaciam, sicut dolor flatus exitum non habẽtes, aut acrem humorem) talis inquam lienteria in malo est, nisi abscessu ad partes infernas finiatur, per aph. coac. *In lientericis dolores tormine soluti, quæ sunt circa articulos in tumorem attollunt*; aut in hydropem

dropem desinit, si confirmetur. Lienteria, quæ ex catarrho acri & mordente, vt sero bilioso, aut pituita salsa excitatur, per se quidem non admodum maligna est: nam vt ait Gal. cõment. in aph. 1. lib. 6. Lienteria, quę propter humorum acrimoniam, totius ventriculi & intestinorum abrasa fit superficie, siquidem humorum malignitas, adstringente tum potu, tum cibo, cessauerit, citissimè curatur. Si verò longiori tempore perseueret, in dysenteriam & intestinorum difficultatem mutatur: sicut dysenteria interdum in lienteriam, confirmata intemperie, & contracto iam habitu solutu difficili transit.

Lienteria cui coniungitur difficilis spiratio, & punctura pleuræ, ita vt vel hæc duo illi superueniant, vel his lienteria, aut simul inuadant, in tabem desinit, per aph. *Lienterica vitia cum difficili spiritu, in tabem desinunt.* Quomodocumque accidat lienteria ex his modis res periculi plena significatur. Nam ex copia prauæ & acris è capite distillationis, cuius bona pars per guttur in asperam arteriam, pulmones, & pleuram illabitur, tabidas affectiones factura; alia portio in ventrem irruit, vbi tortiones & morsum excitat, & lienteriam facit, periculum colligimus. Siquidem humorum defluentium morsu & acrimonia, punguntur membranæ thoracis, copia pulmo opprimitur, vnde difficilis spiritus & punctura. Atque in superficie exasperantur intesti

inteſtina,ac aphthas quaſdam patiuntur; vnde alimentorum ſine vllo coctionis rudimẽto exitus, non ſine ſenſu mordicationis. Certius erit præſagium, ſi neque ex illo alui profluuio alleuatio vlla ſequatur; neque defluxionis vllus finis fiat.

De progn. choleræ morbi.

CAP. XI.

PRimam coctionem quæ in ventriculo perficitur deprauari in inteſtinis,oſtendit illud ſymptoma deprauatæ expultricis, quod choleram morbum appellant. Nam excrementa quæ cruda ſunt & phlegmatica, niſi putreſcant,tantam vehementiam, quanta fit in cholera, non poſſent excitare. Cholera morbus igitur(in quo vomitus alicui profluuio coniungitur, propter acrimoniam & redundantiam humorum circa ventriculum & inteſtina, atque è toto corpore ad ventriculum & inteſtina confluxum, ſymptomatica excretio eſt,ſæpe ſine febre,aliquando cum febre, quod eſt malignum. Non enim larga illa vtrinque vacuatio expurgando ſatis eſt: ſed pars materiæ in venis putreſcit, vnde febris. Atteruntur itaque vires,& labefactantur, tum à febre, tum à cholera; malis ægri rebus. Sola namque cholera ſatis eſſet, vt proiectis viribus, paucis diebus vitam adiuuat. Augetur ſuſpi

ſuſpicio, ſi choleræ ſuperueniat malum circa fauces, aſſidua ſcilicet vomitione vel acri exhalatione è corpore aut à maligna diſtillatione à capite: ſi extremorum perfrigeratio, ſingultus, corporis prolapſus, & agitatio, pulſus paruus, frequens, vermiculans, formicans; ſi voces effractæ, abruptæ & ferè præcipitatæ ab imbecillitate naturæ efflationem facientis, quam facit ſuperpurgatio; ſi cónuulſio denique conſequatur, quæ quia ab inanitione, lethalis eſt. Non eſt hic ſilentio prætereundum quod ſcribit Hipp. in coacis hoc aphor. *Lipyrias febres non ſolui, niſi cholera ſuperueniente.* Quod tamen difficile putat Hollerius in Comment. Tum quia in illa febre, viæ quà bilis & excrementum corporis in inteſtina decurrit, præcluſæ ſunt: tum quia præcluſi ſunt etiam ductus, quibus alimentum è ventriculo & meſenterio in portas hepatis transfluit. Ex quibus colligit difficile & rarum eſſe, vt lipyria febris cholera finiatur. Fieri tamen poſſe, ſi modo morbus ſit ſalutaris, vires validæ, impetum materiæ concitatæ ſuſtinere potentes, viarúmque libertas per quas fiat corruptorum, crudorum, multæque bilis pallidæ, flauæ, vitellinæ & eruginoſæ, per vomitum & alui fluxum, liberalis expurgatio. Iacotius verò exiſtimans lipyriæ febris cauſam inflammationem partium internarum, vt cimarum hepatis, &c. optimè tam ex loco affecto, quàm ex materia colligit,
lipy

lipyriam cholera ſolui, alioqui interficere; Choleræ nomine non morbum illum acutiſſimum, iu qua vomitus & deiectio ſimul ſunt, intelligẽs; ſed in quo materia per aluum expurgatur, nomine ab inteſtinis deducto.

De progn. diarrhœæ.

CAP. XII.

DIarrhœa propria ſignificatione accipitur pro illo fluxu, quo aluus profusè fertur, liquidis excrementis, ſeu prauis humoribus, qui ex toto corpore vel ex aliqua eius parte in aluum defluunt & vacuantur. Differt à lienteria, quòd hæc ſemper ſymptomatica eſt, & in malis habenda: Diarrhœa verò ſæpè ſalutaris, & in morbis plerumque iudicandi vim habet.

Solet diarrhœa morbis ſuperuenire criticè, vel ſymptomaticè, quatuor modis. Primus eſt cùm manifeſta occaſione, pleniore cibo vel potu ſequitur, quod genus excretionis nullam humoris morbifici certam ſpeciem repræſentat, nec morbi morem vllum oſtendit: vnde colligimus, quia ab externa cauſa, non vi morbi contingit, non multum conferre ad præſagium. Alter modus ſymptomaticus eſt, in quo circa principia aut incrementa, ante ſigna perfectæ coctionis, à natura non mouente, ſed coacta,

aluus

aluus deturbatur;qui modus, si nec febrem remittat,nec augeat, morbi diuturnitatem minatur.Tertius modus est planè lethalis, cùm scilicet febri, vel primariæ, vel cum inflammatione alicuius visceris copulatæ, quæ ad summum iam peruenerit, diarrhœa superuenit, ita vt in consortium mali hepar & ventriculus adducantur. Tunc enim signum est neque ampliùs ab hepate alimentum trahi,neque probè in sanguinem conuerti, neque à ventriculo concoqui. Quod non nisi progresso morbo & aucto fieri potest. Quartus modus criticus est,viribus naturæ excitatus, cum signis coctionis perfectæ præcedentibus, & symptomatum omnium remissione.

Morbi autem quibus alui profluuium vel criticè vel symptomaticè superuenire solet, sunt capitis,ophtalmia,pleuritis,peripneumonia,tabes,febris ardens,phlegmone hepatis,hydrops, internæ inflammationes & cætera. De quorum prog. secundùm nostrum institutum, pauca dicemus.In morbis igitur capitis,ait Hipp.libr.de morbis, *Aluum deiicere multa & liquida iam morituris. Alioqui aluus in illis ferè semper adstringitur*, vt in apoplexia. Non enim excernuntur biliosa in pituitoso morbo, nisi accesserit vitium hepatis & ventriculi, in quo calore febrili & corruptione alimenti biliosa generantur.

Ophthalmiæ bonis ægri rebus sæpè superuenit

nit alui fluxus, siue arte siue natura motus, per aph. *Lippiēti alui profluuiū sponte naturæ motum vtile.*

Parotidibus quæ non suppurantur (de quibus suo loco) interdum remedio est diarrhœa. Pleuritidi quandoque vtiliter superuenit alui fluxus, duobus modis: vno in morbi principio, ad materiæ antecedentis auersionem & expurgationem, vnde Hipp lib. de aere loc. & aquis scribit, *Rarò obnoxios esse pleuritidi, quibus aluus natura humidior est*: altero in progressu circa statum; modò signa coctionis in vrinis & sputis appareant, noxiúsque humor expurgetur, & maximè si leuiter morbum ferat æger, per aph. *Quibus febribus dolores lateris fiunt, iis aluo multa aquosa bile permixta deiiciente remissio est, alias inutilis valdè* Est enim diarrhœa in omnibus morbis thoracis vt plurimùm noxia, per aph. *pleuritide aut peripneumonia detento diarrhœa superueniens malum.* Tabidis diarrhœa succedens, semper ferè lethalis est, & maximè si in statu, & iam progresso morbo contingat & diutiùs perseueret; siue à resoluta facultate ventris, siue ab acri & tenui sanie eò confluente, fiat: nihil quicquam enim de materia coniuncta educit, & vires iam fractas prosternit: In principio autem, aut etiam incremento, prodesse posse æstimatur, materiæ antecedentis expurgatione, modò diutiùs non perseueret.

Damnatur diarrhœa liquida & pallida superue

perueniens in febre ardente. Significat enim multam cruditatem, & virtutis naturalis infirmitatem, efficitúrque tam multa deiectione, vt vires totius corporis exolescant. Alui fluxus in phlegmone hepatis superueniens, magna ex parte suspectus est. Hepar enim inflammatum quandiu firmum adhuc est & robustum, immodicè sugit alimentum & adurit. Quod si ad phlegmonem accedat hepatis imbecillitas, quæ excernuntur per aluum sunt varia. Nam si alimentum hepar non trahit, chyli speciem referunt: quo differunt ab excrementis ventriculi affecti, quæ in chylum non mutantur. Si verò trahit quidem, sed non retinet, saniosa sunt & ichorodea: interdum crueta, reseratis venis mesaraicis. Quod alui profluuiũ maximè prauum est. Omninò verò lethale redditur à colliquatione, & resolutione hepaticæ facultatis, propter igneam dispositionem oris ventriculi, & simarum iecoris. Quæ partes maximè omnium cordi communicant, alimenta vrunt, & marasmum inducunt.

Diarrhœa denique hydropi vtilis æstimatur, si asciti & leucophlegmaticæ superueniat per aphorismum: *Si quis alba pituita detineatur, eique alui profluuium superueniat, morbum soluit.* Modò vires sint integræ, nec adhuc contractus sit corporis malus habitus & cachecticus. Et in sũma, notanda est ad prognosim, de omni alui proflu-

uio, hæc generalis distinctio. Omne scilicet malum esse, quod nihil iuuat: pessimum, quod non modo nihil iuuat, sed etiam ægrum auget symptomatis. Contra verò criticum esse atque vtile, quod antegressis coctionis signis exoritur, humorem noxium vacuat, ægrum leuat; multóque adhuc certius, quod die critico incidit, & die iudice præmonstratum est.

De prog. dysenteriæ.

CAP. XIII.

DYsenteriæ nomine generaliter sumpto, quamlibet cruentam alui deiectionem intelligimus. Quamuis propria significatione illud nomen ab intestinis sit deductum: non ab vno tantùm, vt cholera, & iliaca, sed ab omnibus: hinc duo constituuntur dysenteriæ summa genera. Vnum quod fit vlceratis intestinis superioribus, vel inferioribus: quod genus propria appellatione (vt dictum est) dysenteriæ intelligitur. Alterum est in quo cruor excernitur per intestina, sine tamen eorumdem affectione: qui sanguis aliunde venit, vt ab hepate propter eius infirmitatem & resolutionem, quam dysenteriam hepaticam nominant, in qua sanguis qui excernitur, similis est loturæ carnium recēs mactatarum: aliquando manat à toto corpore:

quæ

quæ dyſenteria iis facilè accidit, quibus ſuppreſſa eſt inſignis aliqua euacuatio ſanguinis, aut qui ſunt aliquo mutiles membro, nihil de cibo, aut potu deducentes, præſertim ſi in otio viuant. Gal. 3. de ſymptomatum cauſis, quatuor cruentarum deiectionum ſpecies numerat. Vna eſt quam venoſam dicere licet, ex immodico, ſed minimè noxio ſanguine, in qua repentè multum ſanguinis reiicitur, adaperto nimirum vaſis oſculo. Et ob id ab Hipp. dyſenteria hæmatodes nuncupatur. Altera propriè dicta, ab inteſtino vlcerato. Tertia atrabilaria, ex aduſto in hepate ſanguine, aut ad criſim reſeruato. Quarta propriè hepatica eſt, in qua prærubra illuuies excernitur: aliquando purus ſanguis, ſed non multus, interdum cum flaua bile commixtus: aliquando ſuppreſſione & æſtu, velut fæx ſanguinis exit. Et quoad prog attinet, ex his dyſenteriæ ſpeciebus, aliæ ſunt omninò ſymptomaticę & lethales per ſe, vt quæ ab atra bile, per aph. 24. lib. 4. *Dyſenteria ſi ab atra bile incipiat, exitioſa.* Quoniam atra bilis acerrimos habet morſus, totúmque erodit inteſtinum, & vlcus quod ſpeciem præ ſe fert carcinomatis in eo excitat, & omne carcinoma eſt inſanabile. Aliæ dyſenteriæ ſunt criticæ & ſalutares per ſe, ex euentu tamen poſſunt eſſe exitiales: vt quæ febribus acutis ſuperuenit in ſenibus. Ea enim ſenes non minùs quàm iuuenes, aliquando hæ-

morrhagia liberantur, ex conſtitutione tertia lib. 1. epid.

Dyſenteria quæ lienoſis accidit critica æſtimatur, per aph. 48. libr. 6. *Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bono eſt,* modò diuturna non ſit, & lienteriam non adferat, aut hydropem, ex Gal. comm. in aph. 43. libr. 6. Salutaris quoque eſt dyſenteria cruenta, quæ plethoricis aut mutilatis altero crure, aut mulieribus quibus ſuppreſſi ſunt menſes, contingit; ſi modò breuis ſit & fugax, ſi nec appetentiæ deiectionem, nec lienteriam adferat, & in ea aluus rarò & multùm feratur. Quæ enim diuturnior eſt, etſi per ſe erat ſalutaris, euentu tamen fit lethalis & inſanabilis; quoniam diuturnitate, & doloris acerbitate, frangit vires, & frequenti deiectione, naturalem facultatem, & vim inteſtinorum retentricem labefactat: quemadmodum quæ inappetentiam adfert, ſiniſtri eſt iudicij: denotat enim vitium ab inferioribus ad ſuperiores partes aſcendiſſe.

Dyſenteriæ quoque alia ſuperueniunt ſymptomata, quæ eandem funeſtam oſtendunt. Qualia ſunt larga ſanguinis effuſio, ab vlcere altiùs penetrante, conuulſio ab inanitione, ſingultus, vomitus, delirium, hydrops, lienteria. In hanc enim tranſit dyſenteria confirmata intemperie, & contracto iam habitu ſolutu difficili.

Iudica

Iudicatur tandem dyſenteria magis vel minùs periculoſa, ſpectata excretorum natura. Nam quæ pinguia tantùm ſunt, periculo adhuc carent, curabilémque affectum ſignificant: quæ ramētoſa, non ita facilem, ſed non deſperatum. Quæ verò carnoſa & ex magna portione inteſtini abraſa, lethalem ſignificant.

Finitimus eſt huic affectui teneſmus, quem irritationem recti inteſtini dicunt, qui ſi à cauſa interna pendeat, plus minùs calamitoſus eſſe dicitur. Doloris enim acerbitate, & deſidendi aſſiduitate, ſomnū adimit, cor & corpus facit infirmum, ſucceſſionéſque habet periculoſas; Dyſenteriam nempe, eámque peſſimam; per affluxum corruptæ pituitæ, & exulcerantis; diarrhœam & lienteriam, quæ ægrum ad exitium præcipitant; ſtranguriam, per ſympathiam partium vrinæ excretioni dicatarum; abortum, per aph. 27. libr. 7. Quia rectum inteſtinum in conſortium ſuæ affectionis trahit vterum. Sæpè etiam ex neglecto teneſmo, vlcus relinquitur ſordidum & purulentum, & tandem in fiſtulam ægrè remediis cedentem vertitur. Viſus eſt aliquando autumno teneſmus magna ex parte contagioſus, maximè pueris, quibus tandem in dyſenteriam lethalem eſt verſus.

De progn. Ilei ſeu voluuli.

Cap. XIIII.

NIhil magis ſanguificādi opificium labefactat, quam cùm excrementa primæ concoctionis, per conſuetas vias & ordinarias tempeſtiuè non excernuntur: quod in ileo ſeu voluulo contingere conſueuit, in quo tanta eſt vomitus aſſiduitas & vehementia, vt neque potum continere poſſint ægri: & (quod deterius eſt) nihil infra deiiciant, præcluſa ſcilicet via inferiore. Sæpiſſimè quidem ab inflammatione, modò tenuia & ſuperiora inteſtina, modò craſſa occupante. Interdum ab abſceſſu duro, aut ruptura peritonæi, prolapſo in ſcrotum inteſtino. Rariſſimè, à multitudine craſſorum, & crudorum humorum obſtruente. Cui febris remedio eſt. Vnum eſt eius ſignũ maximè proprium & inſeparabile, nihil ſcilicet infra deſcendere, niſi fortè quædam pauca liquida, & ſeroſa, cum torminibus ventris & ructu inani. Quo duntaxat ſigno, diſtinguitur à colica affectione. Confert quoque ad prognoſim cognoſcere, vtrùm in tenuibus, an craſſis inteſtinis ſit morbus, cùm longè ſit periculoſior affectus in illis, quàm in his. Quoniam anguſtiores meatus difficilius recluduntur, & nobilia viſcera, hepar ſcilicet, ventriculus, lien, magis tenuiorum affectui conſentiunt

tiunt & condolescunt. Est igitur hic morbus acutissimus,& secundo die aut tertio, acerbitate doloris & febris acumine, vt plurimùm dicitur interimere apud Hipp. Quod maximè ostēdunt duo signa malo ingrauescente superuenientia. Vomitus tamen alius alio deterior est, pro ratione temporis morbi,in quo superuenit, & eorum quæ vomitu excluduntur. Vomunt enim iliaci primò pituitosa, postea biliosa, tandem stercus. Nonnulli sine vomitu sunt:quibus minus impendet periculi. Grauis igitur censetur vomitus biliosus; lethalis varius, niger,mali odoris. Mortis proximæ signum est, vbi vnà quoque per os sterc⁹ reiicitur. Huius autē inordinatæ excretionis ratio, hæc est: facultas expultrix noxā excrementi retenti sentiens, contractione vehementi aggreditur exclusionem, & primùm quidē, seruato motu consueto & ordine instituto,à superiore parte inchoat contractionem; vbi nihil promouere potest, propter coarctationem ductuum, per istalticum ordinem inuertit,atque multa vi sursum excrementa regerit; & ita augetur exitus inferioris angustia, ita vt vomitione, tum alimenta,tum bilis, tum etiam stercus reddantur, lethali signo, & maximè si respiratio, ructus, flatus ventris, & vniuersum corpus,grauiter fœteat.

De prog. doloris colici.

Cap. XV.

PRopterea quod in opificio ſanguificationis plurimum inteſtinorum omnium miniſteria ſubſeruiũt, Benè concludimus laborantibus inteſtinis, hæmatoſim non mediocriter lædi. Nulla autem eſt affectio quæ magis inteſtina affligat, quàm dolor. Cuius etiam partes propinquiores plurimũ fiunt participes. Hos dolores validos, colicos vulgus dicere ſolet: quamquam à parte affecta, vix vllum iudicium ſumi poteſt, quod magis colon quã tenue inteſtinum dolore affici demonſtret. Verùm huius doloris frequentiſſimæ cauſæ ſunt, flatus craſſus, aut pituita hærens. Quæ duo in tenuibus inteſtinis ob membranarum tenuitatem, & adipis inopiam, facilè aut diſſipantur, aut deſcendunt. In cœco ob eius paruitatem, locum non habent: ſicut nec in recto, ob eius amplitudinem & facilem exitum. At in colo anfractuoſo, craſſis membranis tecto, ac multo intus adipe inæquali infarcto, means excrementum moratur & retinetur. Vtriuſque materiei, flatus ſcilicet & pituitæ, cauſa intemperies eſt, eáque vel temporaria à recenti aliqua occaſione, vel firmata & ſolutu difficilis. Hæc facit dolorem perſeuerantem,

rantem, ſine murmure, magis in tenuibus, quàm in craſſis inteſtinis. Qui cùm nullis remediis cedat, in hydropen ſiccum firmatur, per aphor. 11. lib.4. Illa verò cum murmure & ſonitu, ſolubilem dolorem efficit, flatu nēpe cum humore ſolidóque corpore permixto, deorſum per inteſtina anfractuoſa & anguſta, tranſeunte. Quorum excretionem natura molitur, vnde doloris ſolutio ſequitur, ſuperueniente voruorigmo.

De prog. nauſeæ & vomitus.

Cap. XVI.

QVandoquidem nauſea, vomitus & ſingultus ſuperioribus ventriculi & inteſtinorum vitiis, vt plurimùm coniunguntur. De his erat hoc loco agendum. Nauſea igitur & vomitus, ſunt ſymptomata motus concuſſiui ventriculi ſtudentis rem noxiam excutere. In eóque duntaxat differunt, quòd in nauſea inanis eſt quædam vomendi irritatio, quæ interdum citra vomitionem fit, interdum ad vomitum impellit. At in vomitu, ea quæ in capacitate ventriculi continentur & fluitant, citiſſimè per ſtomachum reiiciuntur. In vtroque duo conſideramus. Motum nempe concuſſium, à quacunque cauſa fiat, & humorem qui inde reiicitur. Hanc conſiderationem ſuo loco differentes, de

illa hîc agendum videtur. Quatenus ſcilicet nauſea & vomitus ſunt ſymptomata motus concuſſini, morbis acutis ſuperuenientia.: ſiue per ſe afficiatur ventriculus, ſiue per conſenſum: habent enim interdum in febribus nauſea & cardialgia ortũ à colliquatione materiæ quæ in venis eſt: interdum ab ichoribus tenuibus, qui à phlegmone partium vicinarum, in ventriculi capacitatem reſudant; vnde nauſeat æger, maiori vel minori moleſtia, pro vt multus aut paucus, poſt multam vel paucam perturbationem, vomitu reiicitur humor. Eſt autẽ vtrumque ſymptoma prauum, in morbis acutis, vt ſignum, & vt cauſa. Vt ſignum quidem quatenus indicat humoris malignitatem in ore vẽtriculi, qui non poteſt excerni. Vt cauſa verò, quatenus continuis lacerationibus, ventrem afficit, & grauiter lædit: vnde phlegmone vel generatur, vel genita augetur. Ex quibus colligimus, humores quoslibet commodiùs per aluum expurgari, quam per vomitum. Robuſtior enim requiritur natura in vomitione quàm in deiectione. per aph. 6.7.8.l.4. vbi pręcipitur robuſtos ſupra, debiles infra eſſe purgandos.

De

De progn. singultus.

Cap. XVII.

Singultus est etiam motus deprauatus ventriculi, concutientis sese, vt excutiat quod sibi molestum est. Cuuis eædem omninò causæ esse dicuntur quæ & cõuulsionis, inanitio nempe & repletio. Addunt qualitatem venenatam. Nam cùm ventriculus copia humorum opprimitur, aut acrimonia mordetur, aut flatu distenditur, aut frigore aliáque qualitate irritatur, aut resiccatur, aut reuellitur, motu concussiuo conuulsioni non absimili, noxam nititur expellere.

Est autem singultus ex his symptomatis quæ morbis superuenire consueuerunt, sępius lethali signo, & maximè qui in febre laboriosa contingit. Cuius causam auget, auctam ostendit, & vires infirmas laboriosa concussione planè prosternit. Nam quomodocumque singultus fiat, magis periculosus est in deiectione virium, vt in senibus, quàm in aliis. Sunt enim tales singultus mali & lethales, siue spectes causæ magnitudinem, siue eius symptomatis vehementiam. Singultus frequentior in acuta febre, & prope continuo vrgens, malus iudicatur, vnde rarò conualescit æger. Singultus inflammato ventriculo,

culo, & tenui inteſtino, valdè ſuſpectus eſt. Damnatur quoque in inflammatione hepatis & ilei, per aph. 10. lib. & aph. 17. lib. 7. *Ab ileo vomitus & ſingultus, & deſipientia, & conuulſio malum. & propter iecoris inflammationem, ſingultus malum:* Acri enim ſanie lancinante ſtomachum, ſingultus & frequens vomitus mouetur. Augetur ſuſpicio ex hoc ſingultu, propterea quòd à magnis duntaxat hepatis inflammationibus moueri ſolet; vel neruorum breuiſſimorum conſortio, qui hepati & ori ventriculi ſunt communes, vel ſanie quadam & acri materia à parte inflammata in os ventriculi influente & illud commordente; vel quia tumoris magnitudine ventriculum premit, viamque concluſis ſpiritibus intercipit; vel denique acri exhalatione ſtomachus incaleſcit, irritatur, & ſicceſſit. At ſingultus à ſola repletione, minus eſt periculoſus: quia euacuationibus ſolui poteſt.

De prog. ex lumbricis.

Cap. XVIII.

VErminationem vitio primæ concoctionis fieri, oſtendit eiuſdem generationis ratio & locus. Ex eruditatibus enim in inteſtinis gignũtur lumbrici: familiares facit Hipp. aph. 26. lib. 3. pueris tertiæ ætatis, quæ ſupputatur inter

tempus

tempus dentitionis & pubertatis : quibus ita ſcatent hoc nostro ſeculo pueri, vt quibuſcunque morbis teneantur, de vermibus ſemper ſuſpicio eſt, & querimonia. Multi ſiquidem fiunt in grandioribus & ablactatis: quia in his & materia ſufficiens, & calor potens inueniuntur. Non enim calor exiguus, nec ſola putredo ſufficiens eſt, ad vermes generandos, ait Gal. comment in prædictum aph. Qui calor quia in tenellis & valde paruis non eſt potens, ideò in illis vermes gigni non æſtimantur. Adde quòd putredo in tantilla ætate ante cibi ſumptionem non colligitur. Non enim à ſemine, ſed à putredine fieri vult vermes Ariſtoteles. Horum autem duo genera meminit Hipp. rotundorum nempe & aſcaridum. Quamuis lati lumbrici ſigna commemoret, lib. 4. de morbis. Et quamuis vermes poſſint gigni in omnib. capacitatibus in quibus cauſæ generationis inueniuntur: in inteſtinis tamen potiſſimùm fiũt rotundi & lõgi quos teretes appellant: raró in ventriculo, ad quem tamen aſcendunt, vbi cardialgiam & vomitum pariũt. Sunt enim duo potiſſimùm ſymptomatum genera, quæ ſequũtur ad ſæuitiã vermiũm. Vnum ex fumis & vaporibus, qui exhalant ab eis, ad cor & ad cerebrum. Alterum ex morſu quem inferunt partibus vbi inueniuntur. Illius generis ſunt, animi deliquia, mentis perturbatio, conuulſio, epilepſia, palpitatio cordis, febris,

bris,&c. Huius verò anxietudo,alui fluxus, cibi faſtidium, fames canina, fluctuatio ventris, eius torſiones,flatus, & inflatio. Quæ ſymptomata potiſſimùm vermium rotũdorum in ventribus puerorum ſtabulantium eſſe dicuntur. Quibus adduntur maſticationes, quæ in pueris dormiẽtibus aliquando animaduertuntur,quaſi muſculis maſticatoriis imaginata quædam mordicationum lumbricorum exprimentibus. Alterum genus vermium tenuiorum & caſei vermibus ſimilium: quos aſcarides, quaſi perpetuo pungentes,nec quieſcere ſinentes,appellant: gignuntur potiſſimùm in recto inteſtino, pituita putri,quæ ibi vt plurimùm cunctatur;ad ventriculum nunquam perueniunt, & amaris facilè interficiũtur. Quoad prognoſim ex vermibus Hipp. 2. prognoſt. ex eorum excluſione in morbis acutis duntaxat,prædicit. Malum enim eſſe putat ſi ſuperius aſcendant, & per os eiiciantur. Malum etiam ſi in principio morbi, cuius vi potiùs, quàm natura operante excluduntur. Significant enim magnam crudæ putriſque materiæ copiam, ac putridi caloris vim, in ſuperiori inteſtino, preſertim ſi viui & ſoli deponantur, aut mortui à malignitate materiæ. Bonum ſi in fine morbi ac criſi imminente,cum excrementis,viui deſcendant. Spem enim ſalutis adferunt:quia inde,& naturę robur,& materiæ bonitas declaratur.

De

De prog. ab hæmorrhoidibus.

Cap. XIX.

QVoniam hæmorrhoides secundùm Hipp. sect. 3. lib. 6. epid. vindicant corpus à furunculis, therminthis, phagedenis, pleuritide, peripneumonia, lepra, & ab omnibus morbis melancholicis, qui cùm sint corrupti sanguinis soboles, & læsam sanguificationem significent, optimo iure, secundùm nostrum institutum, inter affectiones ad deprauatam hæmatosim spectantes, reponuntur. Quod ex eo magis perspicuum est, quòd aliæ hæmorrhoides expurgant hepatis gibbam partem, renes & totum venosum genus, euacuant à vena caua. Et hæ sunt quas externas appellant. Aliæ lienē, iecoris cauam partem, totum mesenterium per venam à ramo splenico venæ portæ ortam & ad rectum intestinum mediante mesæreo exporrectam. Quæ omnes partes sanguificationis muneri sunt dicatæ.

Conueniunt hæmorrhoides omni homini, ætati, & tempori. Eas tamen Hipp. aph. 30. lib. 3. sextæ ætati, quæ numeratur à Gal. à 35. anno ad 49. proprias facit. In qua ætate plurimùm humoris melancholici (cuius hæmorrhoides sunt soboles) cumulatur. Fiunt enim rariùs à sangui-

ne,

ne, sæpiùs ab atra bile & melancholico hu re qui ad venas sedis copiosiùs irruit. Et sic p thoram & cachochymiam deplere dicũtur. V de duobus modis prodesse, & totidem obe æstimantur. Prosunt quidem aut ratione eu cuationis tantùm, vt in plethoricis; aut ratione euacuationis simul, & humoris qui euacuatur qualitate, vt in melancholicis, per aph. 21. *lib. 6. Melancholicis hæmorrhoides superuenientes, bono sunt; & insanis si varices aut hæmorrhoides superuenerunt, insaniæ solutio.* Prosunt quoque apoplecticis si à sanguine, aut atra bile fiat apoplexia, per aph. coacarum : *Apoplecticis hæmorroides supernatæ, vtile.*

Obsunt verò sanguinis immoderato pro fluuio prçsertim si floridus fuerit sanguis, & in his qui non multum humoris melancholici cumulant. Obsunt etiam suppressione & adstrictione ex toto, ne vna quidem seruata. Illîc, idest, immoderato fluxu, aut repente homo tollitur de medio, aut in hydropen, vel cachexiam, & malum habitum incurrit. Hîc verò insanabiles morbi & vari superueniunt, pro varietate partium, quas refluens sanguis appetit; & pro humoris melancholici varia putredine, vstione, acrimonia; nisi occurratur aperta vna hæmorrhoide, aut bilis atræ purgatione. Frequentiùs tamen hac suppressione & faciliùs hydrops aut tabes consequi solet. Quia cum venæ illæ in

sede

ſede propter plenitudinem apperiantur, ad quas fœculentus ſanguis reiicitur à iecore: ſi via illa præcludatur, iecur ſcirrhum contrahit, & multitudine ac craſſitie opprimitur, vnde calore ipſius paulatim debilitato, & quaſi extincto, generari bonus ſanguis non poteſt, fruſtratáque hæmatoſi aquam intercutem facit. Eadem ratione cùm iecur plenitudinem in venas pulmonis protrudit, ex qua vas aliquod rumpitur, tabes generari ſolet. Proinde, priuſquam hi morbi euenerint, maturè occurrendum eſt artificioſa euacuatione, quæ fit aut venæ ſectione, aut medicamento, aut (quod tutius eſt) hæmorrhidibus reſeratis. Vbi verò iam facti ſunt, liberantur ægri, ſi hæmorrhoides ſuperueniant, aut ſi vna aperta relicta ſit. Duæ tamen ſunt huius generis affectuum ſpecies, quibus nec hæmorrhoides, nec purgationes artificioſę poſſunt mederi. Vnũ eſt in quo habitus intemperiei partibus impreſſus, ſanguinem vitiat, & accedens alimentum corrumpit; vnde perennis corruptæ materiæ generatio ſequitur: vt in elephantiaſi, cui cùm fieri incipit, hæmorrhoides proſunt; quia à ſuperficie & centro corporis, melancholicum humorem in venas recti inteſtini deriuat. Cùm verò facta eſt, & habitualis hæmorrhoidum fluxio, morbi malignitatem ſequitur potiùs, quàm naturæ expellentis robur. Alterum genus morbi, in quo prædictæ euacuationes nihil conferunt, eſt viſ-

ceris alicuius corruptela, aut praui humoris fæx, & infixus seu in spongia vapor, aduenientem sanguinem corrumpens; non secus atque modicum fermentum alimoniam inficit: In quo hæmorrhoides quidem vitiosam materiã educunt, affectum tamen sanare non possunt, manente totius mali fomite.

De progn. læsæ sanguificationis à vitiis partium vrinæ dicatarum.

CAP. XX.

Dictum est antea renes & reliquas partes vrinationi dicatas, eatenus sanguificationis operi ministrare, quatenus sero secernendo & expellendo sunt dicatæ. Quod opificium, cùm quarumlibet supra dictarum vitiis, malè fiat, ex his hæmatosim lædi plus minus, propinquius vel remotius, existimamus. Totum igitur vrinationis munus, in omnibus suis partibus naturale est, excepto musculo ceruicis vesicæ.

Primi enim renes operantur, qui quandiu benè habent, sanguinem suo seroso excremento purificant. Secundò adsunt duo vreteres, qui meatus sunt seu tubuli, è renibus obliquè ad vesicam tendentes, per quos secum illud ad vesicam descendit. Tertio loco interuenit vesica, quæ vrinam excipiens, & quodam tempore retinens, tandem eiusdem morsum, molem & pondus

pondus ſentiens,excitatur ad naturalem,voluntariam, aut etiam inuoluntariam excretionem. Quartò præſto eſt muſculus in ceruice veſicæ exiſtens; qui cùm obliquus ſit, & fibris obliquis nitens , arbitrario motu meatum claudit ; & ita eiuſmodi muſculi actione & contractione , ab electione pendente,vrina retinetur,otio & laxitate effluit. Quintò & vltimò occurrũt muſculi abdominis , maximè medij, compreſſionem iuuantes : vnde fit , vt cùm vrina vel deiectiones ſupprimuntur, hos muſculos manibus comprimamus. De vitiis igitur omnium prædictarum partium,à quibus lædi cõſueuit hæc vrinationis operatio, ordine eſt agendum.

De progn. læſæ actionis renum.

Cap. XXI.

RENum propriam , & peculiarem actionem paulò ante diximus eſſe ſanguinis expurgationem, & ſeroſæ portionis ab eo ſecretionẽ. Quæ operatio aut diminutè,aut abolitè,aut deprauatè læditur.Duobus quidem primis modis, renibus debilitatis , non fit ſeri debita attractio, aut attracti expurgatio. In poſtremo copioſiùs trahũt renes.Vtrumque ſequitur ad varia morborum genera , variáſque cauſas. Maximè ad magnam aliquam intemperiem , extenuationẽ, meatuum dilatationem,& carnis relaxationem.

In tribus poſtremis, quia imbecillitatis (quæ ſola eſt doloris expers) ſunt effectus,nullus dolor percipitur,niſi rarò & per accidẽs. In intemperie autem vix dolor abeſſe poteſt, niſi hectica fuerit. Morbi autẽ renum,ſecundùm Areteum, aut ſunt acuti aut longi. Acuti ſemper habent febrem comitem. Imò in febribus plerunque dolor circa renes oboritur : quia incaleſcunt propter decubitum, aut partibus pinguioribus incenduntur,à calore febrili.Interdum à feruẽte ſanguine, in magna vena & arteria, ac redundante. Nonnunquam à muſculis, & ſpinali medulla ſimul cum renibus,dolor originem trahit. Acutè pariter laborant renes phlegmone,quam demonſtrat febris inordinata. Initio enim phlegmone non inſigni, lenis febris eſt : tranſacto verò principio, atque inflammatione in peius proficiente, vehemens dolor eſt, cum remiſſione & exacerbatione, horrore quodam, & refrigeratione manuum & pedum. Morbi renum diuturni ſine febre & inflammatione ſunt vt plurimũ, ſenibus magis familiares, cum dolore tamen magis vel minùs graui. Horum primus eſt calculus, dolore vario deſignatus, prout ſcilicet, vel in carne, vel in ventre renis generatur: aut ratione temporum generationis, permanſionis,& excluſionis. Secundus morbus diuturnus renum eſt vlcus,ſiue primario genitum,ſiue alteri morbo ſuccedens. Tertius morbus eſt abſceſſus,

ſceſſus, vel ab vniuerſali plethora, aut particulari membri conſocialis cum renibus factus, vel à cacochymia, calculo erodente, à ſuppreſſione vrinæ. Quartum morbum addit Hippocr. lib. de internis affectibus, quem phthiſim nephritidis appellat, Cornarius vertit tabem renalem, Auicennas extenuationem & arefactionem renum; cuius tres ſtatuuntur cauſæ: vnam procatharticam, quæ eſt immoderatus coitus: duas antecedentes, immoderatam ſcilicet euacuatiouem, & intemperiem deprauatam. Addit Auicennas morbum in cõformatione & magnitudine. His prænotatis affectibus, alia in genere, alia in ſpecie ab illis eſt præſagiendum. In genere quidem omnes morbi renum & veſicæ in ſenibus difficulter curantur, per aphoriſ. 6. lib. 6. Sic morbi qui in ſolo corpore renum fiunt, non ſunt periculoſi. Et ſi mortem ſint allaturi, erunt in morte inferenda minimè crudeles. Interficiunt enim ſenſim, & longo tempore, vt ait Ruffus Medicus Epheſius. Qui verò morbi conſiſtunt, vel in interceptione actionis renum, vel in vitio ſubſtantiæ, quæ excernitur, hi ſunt periculoſi. Hoc quoque in genere de doloribus regionis renũ pronuntiat Hippocr. in coacis animaduerſionibus: *Dolor lumborum ſine cauſa manifeſta ſæpiùs impetens; maligni morbi ſignum eſt.* Tales ſiquidem dolores, aut ab inſigni aliqua intemperie partium oriuntur, aut ab occulto & latente vitio. Frequentia

enim illa, maligni & pertinacis morbi ſignum eſt. Nam frequentia cauſæ ſtabilitatem & magnitudinem oſtendit: dolor verò qui remediis conuenientibus non alleuatur, malignitatem. Adde quod dolores qui à cauſa manifeſta manant, faciliùs remediis quieſcunt.

In ſpecie de morbis renum alia de acutis, alia de diuturnis ſunt prædicenda. In febribus quidem periculoſiſſimus eſt ille dolor regionis renum, quem inflammatio ſpinæ, aut ſanguinis ingens æſtus, in maioribus vaſis, efficit; tum propter viſcerum proximorum ſympatiam; tum propter ſymptomaticæ tranſlationis periculum; tum etiam quia ex hac oppreſſione & ex lumborum æſtu, magna corporis iactatio ſequitur. Renum autem inflãmatio peracuta affectio eſt, qua ſimul inflammantur venæ à iecore in renes diſcurrentes, & cum illis iecur ipſum. Cui inflammationi ſi vrinę ſuppreſſio ſuperueniat, eius vehementiam auget, vnde mortis periculum impendet. per aphor. in coacis: *Quos lumborum dolor cruciat, eos malè habere, &c.* Quod ſi coctione phlegmone ſuppuretur (quod puris & ſorditiei eruptio cum vrinis oſtendit) vacuato expurgatóque abſceſſu, vlcus manet diuturnũ, ac plerunque immedicabile. Cuius vlceris prognoſis certior eſt, hac animaduerſione prænotata, quòd ſcilicet vrinæ purulentę, per ſe vlceris renum aut veſicæ fallaciſſima ſigna ſunt. Poteſt enim

enim pus, aut à thorace & pulmone, aut ab inflammatione hepatis, aut aliarum partium in quibus vehemens dolor præcessit, aut à toto genere venoso, per vrinas excerni. Quod in transitu dolorem mouet in rene, & in vesica, propter acrimoniam. *Quare neque dolor cum perulenta vrina semper vlcus renum ostendit, aut vesicæ, neque semper dolent vlcerati renes.* Quia renum substantia neruorum est expers. Quamuis frequentior causa doloris & puris, vlcus est renum & vesicæ. Hæc erant prænotanda, ne falsa diagnosis falsæ prognosis causa esset. Vlcus igitur renum abscessu frigido succedens, nisi statim purgetur, difficilè curatur; omnísque exulceratio tum renum, tum vesicæ, præsertim quæ ab erosione ducit originem, ægrè curatur. Quamuis minoris malitiæ sint renum, quàm visicæ vlcera. Quoniam carnosæ partes, quàm neruosæ facilioris sunt curationis. Vlcera renum recentia & vesicæ faciliùs curari cēset Ætius. Vetusta omninò incurabilia. Sicut quæ sunt atri coloris grauísque odoris (quod ex pure & vrinis percipitur) cum cruciatibus impatibilibus. Et quæ ex remediis conuenientibus, magis exasperantur, lethalia omninò sunt. Quibus si alia funesta symptomata superueniant, mortem in propinquo esse, est pronuntiandum. Calculus siue in renibus, siue in vesica cum vlcere coniūctus curari nō potest. Nam quæ lapidem minuūt & frangunt, vlceri contra-

ria ſunt. Item dolores ex calculo, qui nullis medicamentis ſedantur, miſeram mortem & calamitoſam minantur. Quibus ſi frigiditas extremitatum & ſudor frigidus cum pulſu formicāte ſuperuenerit, mortem in propinquo eſſe ſignificat. Ad prog. quoque ſpectare antè ea diximus, priùs quàm morbus fiat cognoſcere, & eundem præcauere: valent igitur ad præcautionem à calculo, alui libertas & liberalitas. Nam qui habent ventres molles & liquidos, raró calculis vel veſicæ vel renum vexantur. Vnde trauli, & balbi, qui per apho. 32. lib. 6. longo alui profluuio corripiuntur, raró capiuntur calculis. Sic qui ſemel aut bis in menſe vomunt, magna ex parte à calculi generatione præſeruantur. Quoad tabem renalem ſpectat, ſiue à cauſis ſupradictis contingat, ſiue ab vlcere, ſiue à corrupto partis alimento, & propria eius temperie alienata, ſiue à defluxione à capite per ſpinalem medullam, à quacunque inquam cauſa fiat, nūquam bonum poteſt habere exitum.

De prog. læſionum vrinationis à vitiis veſicæ.

Cap. XXII.

VRinationis operatio, quatenus ad veſicam pertinet, multipliciter quoque lædi ſolet: aut enim diminuitur aut abolетur vel deprauatur.

tur. Vnde fiunt tria illa symptomata triplicem prædictam læsionem significãtia, Ischuria, nempe, dysuria & stranguria. In prima vrina omninò supprimitur: in secunda non omninò, sed cum magno conatu vel difficili tantùm motu, aut etiam aliquando cum dolore vrina redditur: non enim cùm meiere æger vult statim vrinæ excretio sequitur, parũ scilicet vesica (quæ sola in hoc affectu laborat) operante. Et ita differt Ischuria à dysuria tantùm secundùm magis & minùs. In tertia vrina deprauatè exit. Vrinæ siquidem stillicidium ad motum deprauatum facultatis excretricis vesicæ refertur: maturiùs namque quàm naturæ conueniat lotium deponitur. Idque intercisè & guttatim, vt nomen ipsum indicat. Quorum symptomatũ prognosis clarior erit prænotata singulorum natura. Supprimitur itaque penitùs vrina, vel ægrè & vi redditur, vesica plena vel vacua: si plena, sana esse omnia superiora est concludendum, maliq; causa vel in ipsa vesica vel in cole est perquirenda: sin vacua & inanis, in superiori aliquo ad vesicam loco. Supprimitur autẽ vrina vesicæ vitio triplici de causa; aut à resolutione siue imbecillitate facultatis naturalis vesicæ, quam facit aut nimia intemperies aut nimia vrinæ quantitas: non enim vesica se colligere potest mortua facultate excretrice. Sicut cùm diutiùs plena manet vix aut nunquam contrahi potest. Suppri-

mitur etiam à refrigeratione nerui ſenſifici, qui in veſicam diſpergitur: aut ab obſtructione cernicis; ſiue ab inflammatione, ſcirrho, abſceſſu partium circũſtantium fiat; ſiue ab his quę meatum replent, qualia ſunt lapis, grumus, pus, craſſus lentúſque humor; ſiue carnoſa ſubſtantia innaſcente, vt ſunt carnoſitas, vulgo dicta, verruca, callus in meatu. Sin autem in ſuppreſſione vrinę veſica vacua appareat, renibus, vreteribus, aut tranſlationi materiæ cauſa eſt adſcribenda.

Quoad progn. Si in morbis acutis vrina ſupprimatur, plena veſica & meatu vrinatio libero, certiſſimum iudicium eſt emortuæ facultatis, & mortis imminentis, aut partis ipſius inflammatæ, ſi dolor adſit; aut mentis perturbatæ in phreniticis, qui interdũ non mingunt niſi admoniti, ſicut interdum inuoluntariè vrinam reddunt. Si verò vacua veſica; aut aliò conuerſam eſſe materiam eſt coniectandum, vt in alui fluxu; aut tranſlatam, vt in criſi vel rigore ſymptomatico; aut renes eſſe affectos. Deriuatio vrinæ per alui fluxum caret ſuſpicione. Tranſlatio aliquando eſt ſuſpecta & calamitoſa, aliquando non, vt in criſi appetente, antegreſſis ſalutaribus iudiciis. Tunc enim neque frigore & rigore, neque vrinę retentione terreri oportet: vt annotat Hollerius in illum aphoriſmum coacarum animaduerſionum: *Ex perfrigeratione vrinam intercipi, peſſimum eſt.* Alioqui illa metaſtaſis ferè ſemper lethalis eſt.

est. Quæ cognoscitur dum fit, per motum humorum qui ante obfirmati erãt in aliqua parte, per rigorem frustra obortum superuenientem, & per symptomata propria partis ipsius in quam translatio facta est. Hinc ab vrinæ suppressione conuulsio & torpor inuehuntur. per apho. coac. *Interceptæ cum rigore vrinæ, prauæ, & conuulsionem inuehunt, tum aliàs, tum si antea sopor inuaserit.* Rapta nempe in musculorum genus & neruorũ principum materia. Vrina igitur pluribus diebus suppressa, serum, quod in vreteras & vesicam permeare non potest, per vasa refluit ad superiora, iecur opprimit, sanguinem inficit & refrigerat: tandémque tracto in consortium mali cerebro, & spiritibus tum refrigeratis, tum interceptis, torporem lethalem inuehit. Est enim torpor (vt ait Galen. in 1. prorrh.) commune symptoma omnium, propter immoderatam intemperiem, morientium. In iis enim fit à summa virium infirmitate, & caloris extinctione. Non caret etiam suspicione vrinæ suppressio, quæ sequitur ad inflammationem lumborum, quibus renes & vesica facilè in consortium trahuntur, propter neruos quos inde è proximo accipiunt, & maximè si grauia accidentia superueniant, vt ephidrosis, &c.

De

De prog. deprauatæ vrinationis.

CAP. XXIII.

STranguriam referri ad motum deprauatum facultatis excretricis veſicę, paulò ante diximus: cuius ſymptomatis proprium eſt, vt veſica ad excretionem vrinæ irritetur priùs, quã valdè repleatur. Quod in vniuerſum à duabus cauſis accidere ſcribit Galen. comment. in aphoriſ. 16. lib. 3. & aphor. 58. lib. 5. & in aphor. 48. lib. 7. Vna ex parte veſicæ, vel calculo, vel tumore, vel vlcere, vel imbecillitate à frigore, vel ſiccitate, laborantis. Quibus cauſis grauatur, & ad excretionem proritatur veſica, etiam à pauca vrina: non ſecus atque inteſtina, alimentum nondum mutatum in lienteria propellunt. Altera cauſa ex parte vrinæ ipſius, cuius morſum veſica ferre non poteſt; vt ſi bilioſa ſit, aut putridæ alicuius materiæ permixta, quæ ex renum corruptela ducat originem, aut hepatis, pulmonis, vaſorũ ſeſe expurgantium. Quæ partes ſæpe humorum ſuorum vitia, & pus quoddam ad renes tranſmittunt, vel criticè, vel ſymptomaticè: abſceſſus ad vrinas ſtrãgurioſos vocatos faciẽtes. Quoad prognoſim periculoſus eſt hic affectus & difficilis curationis, prout à grauiori cauſa pendet: vt ſi ab vlcere veſicæ, aut eius inflammatione, vnde lethalia plerũque ſequuntur ſymptomata.

Inflam

Inflammatio siquidem vesicæ ea lethalior est, in qua vehementior dolor, & febris acuta. Et maximè si non solùm adest vrinæ difficultas cum dolore, verùm etiam sit omnimoda suppressio, tum alui, tum vrinæ. Grauis etiam dicitur vesicæ inflammatio, cum citissimè conuertatur in gangrenam, ob magnitudinem. Quantum ad prognosim vesicæ vlceris. Notatu dignum est quod dicitur apud Hippocr. & Galen. *Omnes fere qui vesicæ vlcere laborant ab indesinente dolore, febribus, vigiliis & colliquatione perimuntur. Alij quidem citiùs, alij tardiùs, & maximè senes. In quibus* (vt ante dictum est) *renum & vesicæ vitia difficulter curantur.* Præsertim si frigida intemperie, aut frigidorum humorum redundantia, ortum habeat. Quæ verò strāguria vrinæ vitio pendet, sequitur prognosim partium affectarum à quibus vrina coinquinatur.

De progn. inuoluntariæ vrinæ excretionis.

Cap. XXIV.

HAbet, vt ante ea dictum est, vrinationis operatio multa instrumenta motu naturali agentia. Vnm autem duntaxat musculum in ceruice vesicæ voluntariè operantem. Ille enim (vt etiam diximus) obliquis fibris nitens motu arbitrario meatum claudit, vnde sequitur vrinæ

reten

retentio, ſicut eiuſdem muſculi otio & laxitate effluit. Ex quibus colligimus inuoluntarium vrinæ exitum proprium ſymptoma eſſe actionis reſolutæ ſphincteris. Habet autem eiuſmodi reſolutio cauſam interdum in neruo per quē vis animalis fertur ad muſculum; vt ſi propter extinctum calorem, vel penuriam ſpirituum relaxetur, & flacceſcat, nec amplius contrahi poſſit, nec vrinam effluentem ſentire; interdum in ſpinali medulla luxata ad externas partes; interdum in cerebro ipſo perturbata mente, vt in phreniticis. Duo poſteriores modi curationem admittunt aliquando. Primus verò omninò eſt deſperatus, ſiue muſculus & neruus nimio humore aut vlcere computruerint: vnde tamen mors non ſequitur: ſiue animalis facultas quæ contrahit ſit extincta, quod lethale eſt, modò fiat nihil ſentiente ægro. In pueris pariter humidioribus inuoluntariè exit vrina; & in ſenibus, ab acrimonia irritante; ac in vlcere veſicæ, qui tamen deſperati non ſunt: in quibus excretrix acriùs irritata, aut nimio pondere preſſa, muſculo imbecillo, nō expectat voluntatis imperiū.

De prog. à partibus genitalibus.

Cap. XXV.

ET ſi quæ de partibus genitalibus, quoad noſtrum inſtitutum ſpectat, dici poſſunt, ad


ad ſymptomata partium ex arbitrio motarum videbantur referenda (habent enim partes genitales virorum motum mixtum ex naturali & electorio.) De his tamen propter vicinitatem quam habent cum naturalibus hoc loco agere viſum eſt, in quibus duo conſideramus: muſculos nempe quibus teſtes appenduntur, mouentur & colis tenditur erigitúrque, vrina & ſemen emittuntur: atque neruos, venas & arterias. Quibus non ſolùm cum partibus principibus, vt corde, cerebro, hepate conueniunt, ſed etiam cum aliis, vt oculis, thorace &c. Propter quam naturæ communionem humorum migrationes fiunt: ex quo fit vt in morbis thoracis cum tuſſi teſtes interdum intumeſcant, & interdum abſceſſum patiantur. In acutis verò morbis (quorum gratia potiſſimum de harum partium affectibus hic agimus) contrahuntur, propter conuulſionem & dolorem, vel facultatis extinctionem. In moribundis ſiquidem & morbis capitis, pudendorum contractio, facultatis vitalis interitum cauſam vnam habet. Quæ facultas ad extremas corporis partes amplius extendi non poteſt: ſed perturbata ſe ad ſuum principium colligit, vnáque ſecum partes trahit. Habet etiã hæc contractio alteram cauſam; dolores nempe vehementiſſimos, propter quos delati ſpiritus ad locum dolentem, ſecum rapiunt partes ipſas; aut denique habet conuulſionem muſculorum,

à ſicci

à ſiccitate & ardore febrili. Quæ contractio ſi citra dolorem fiat, exitij ſignum putatur certiſſimum. Quo tempore etiam obſeruare licet, non ſolùm teſtes reuelli, & penem rugari. Sed & digitos ac pollicem manifeſtè inflecti, vngues curuari, labra diſſidere, molliorem auriculam reflecti, duobus, tribúſue diebus ante mortem, vel etiam pluribus.

Finis libri tertij.

LAVS DEO.



OPERIS PROGNOSTICI,

QVI EST DE HIS QVÆ RETINENTVR VEL excernuntur à corpore præter naturam,

LIBER QUARTUS.

CAPVT I.



ACTENVS tribus ſuperioribus libris ea prædicendi ratio abſoluta eſt, quæ ab actionibus animalibus, vitalibus, & naturalibus læſis ſumebatur. Supereſt vt hoc quarto de ea agatur, quæ ab excretis vel retentis præter naturam colligi ſolet. Retenta dico, quia non minor læſio ſequitur ex retentione eorum quæ excerni debent, quàm ex his quæ retineri debēt, ſi excernantur.

De excrementis igitur hoc in genere ſupponendum eſt ex Hippoc. Qualiacunque ſint ſiue

cocta, ſiue cruda, ſiue fœtida, ſiue liquida, &c. ſeu natura, ſeu arte mota, optimam ſignificationem præbere, modò leuent morbum, & leuiter ferantur. Si verò diſſoluant cum grauiori moleſtia, in malis ſemper eſſe ducenda. Hoc inquã commune eſt omnibus, quæ ex corpore excernuntur: per vomitum, per deiectiones, per ſudores, per hæmorrhagias, per ſputa, &c. Debet autem in excretionibus iuſta eſſe moderatio, quæ vel omninò ſoluat morbum, vel reddat leniorem. Nam largior expurgatio vires exoluit; parcior, imbecillitatem naturæ, & malignitatẽ morbi oſtendit. Vbi enim ſæpiùs ſanguis è naribus ſtillatur, ſæpiùs meitur, vomitur, aluus deiicitur, inanis naturæ conatus oſtenditur, labefactãtur vires, & ad ſolutionem morbi nihil commodi adfertur. De his igitur ex propoſito inſtituto eſt agendum, quatenus earum partium à quibus emanant, œconomiam oſtendunt, & morborum quibus partes vexantur exitum demonſtrant, ab his quæ per aquæductu cerebri excernuntur, exordium ſumentes.

De prog. ab excrementis à capite manantibus.

Cap. II.

DVplici ratione cerebrum multitudine excremẽtorum abundat; vna, quia inſignem magnitudinem habeus, multa alimenti copia indiget:

indiget: at in multa alimenti copia, multam excrementorum quantitatem colligi necesse est. Altera, quia, vt inquit Hippocr. lib. de glandulis, caput suprà positum est, sursum cauum & rotundum existens, atque humiditates ex reliquo corpore complectens. Corpus enim vapores omnis generis sursum in caput demittit, quos caput rursus deorsum remittit. Bene etenim cerebro natura prospexit, vt multis ductibus quasi sentinis constaret, quibus multitudo suorum excrementorum exoneraretur. Duo autem potissimùm excremẽtorum genera in cerebro generari dicuntur: vnum crassum, pituitosum, aqueum, serosum, biliosum, & melancholicum: Alterum tenue & vaporosum, quo multo etiam abundat cerebrum, propter situm. Illud per aures, per nares, per oculos, per palatum, per guttur & gulam, per venas in spinalem medullam expurgatur: hoc per insensibiles ductus, sua leuitate superiora petens, expirat. Crassa igitur excrementa (de quibus tantum hoc loco) cerebrum per ordinarios canales expurgat. Qui sunt palatum, in quod desinit illud infundibulum, & nares, per quos ductus aqueus & pituitosus humor excremẽtitius stillat; atque aures, per quas biliosa quædam continuò expurgantur: à quibus sordibus aurium prognosim exordientes, in illis dulcedinem damnamus cum Hipp. sect. 5. lib. 6. epid. *Hominibus*, inquit, *sordes in auri-*

bus, dulcis quidem lethalis, amara verò non. Galen. in Commen. hanc dulcedinem ad colliquationem refert. Dulcescere enim non poteſt ſordes illa, niſi cerebrum ægrotet. Dulceſcit ergo colliquata cerebri ſubſtantia. De amaritudine ſordium in auribus collectarum, vide Ariſtotelem prob. 4. sectionis 32. Huc pertinet illuuies, quæ aliquando per aures excreta, dolorem capitis ſoluit. per aphor. 10. lib. 6. *Pus aut aqua, aut ſanguis per nares, per os & aures fluens, capite laboranti, & vehementiſſimè dolenti, morbum ſoluit.* Hinc oritur quæſtio non omittenda. velitne Hippocr. dolorem capitis ab inflāmatione, puris excretione ſolui, an verò ſine inflammatione? Negat natura cerebri; quòd cùm ſit pars princeps, verendum eſt ne eius nobilitas, priùs mortis periculum adferat, quàm ex inflammatione fiat puris generatio. Reſpon. Hippocr. hoc loco pus intelligere, quod ſenſim factum fuit, ex ea materia quæ dolorem capiti inferebat, citra tumorem inflammatorium. Sic Hippo. lib. 2. de morbis pituitam & bilem, ſerúmque biliosum in maximis doloribus capitis, in pus mutari ſcribit, nec veræ inflammationis meminit. Non ſolùm hunc dolorem capitis terminat talis excretio; ſed etiam alios plurimos eiuſdem partis affectus. Sic ab epilepſia vindicantur & curantur infantes & pueri, per aures ſordidas & purulentas. Per nares quoque (vt dictum priùs) ſua excrementa

deponit

deponit cerebrum humore oppressum, ductu commodissimo: aliquando tenue & crudum, vt in corysa (grauedinem Latini appellant) in qua tenuis & crudus humor per nares excernitur. Quod prauum est ratione signi: quia cerebrum vel aliunde refrigeratum, vel vaporibus calidis repletum ostendit. Vt causa verò aliquid adfert vtilitatis, quatenus è cerebro & pulmonibus, humorem excernit, & auertit: aliquando enim coctum & crassius, sine vstione, per nares excernitur excrementum, bonis ægri rebus. Quòd si diutiùs in ductibus cohibeatur: qualitatem, aut saporem odorémque alienum contrahit: si verò visco similia appareant, quæ excernuntur per nares, pessima sunt, quia permixtione aëris humidi talia non fiunt, vt sunt quæ verè coquuntur: sed exiccatione, & spiritus flatuosi à calore extraneo feruore, extra omnem spem coctionis. Fiunt denique fluxiones è capite per palatum in partes subiectas, Catarrhum Græci appellant, varios effectus producentes, pro humorum diuersa natura & partium præstantia, quæ distillatio mala semper est, vt signum: significat enim grauem affectionem à qua excitatur, & vt causa. Nam eius portio, præsertim si prauus sit humor, per guttur in asperam arteriam & pulmonem perueniens, tabidas affectiones facit: altera in ventrem illapsa cum morsu ventris, perturbationem & fluxum adfert: atque in transitu per

os ventriculi,cibi faſtidium generat. Aliquando prędictæ fluxiones,per os ſpuendo demittuntur foras. Varia eſt prognoſis earum affectionum quæ prædictarum defluxionum ſunt ſoboles, ſuis locis quærēda. Sicut quæ de oculis lippientibus voluntariè, vel inuoluntariè lacrymantibus ſunt dicta.

De progn. ex ſputis ſumptis.

CAP. III.

VAria ſunt quæ per os excernuntur excrementa, non ſolùm ſubſtantia, quantitate & qualitate diſtincta,ſed etiam excernendi modo : alia enim vomitu è ventriculo reiiciuntur, alia excreatione, ſiue tuſſi, ex faucibus & gutture: quædam ſimplici ſpuitione, ex ore, vt cùm liquida tenuíſque pituita in os redundat, cerebro ſcilicet nimio humore fatiſcente , & ventriculo inde laxiore, atque humidiore,vnde multa ſaliuatio & frequens ſputatio : alia denique cum tuſſi,ab aſpera arteria,pulmone & thorace. Ex quibus partibus, ſine tuſſi nihil educitur: & quod educitur affectiones ipſius thoracis, & partium reſpirationi dicatarum, & in his materiæ naturam oſtendit,de quorum prognoſi hoc loco habetur ſermo. Quæ vt ſecundùm rationem educta iudicentur, has conditiones habere

bere debent ex Hippocrat. Vt ſcilicet ſint bene permixta, flaua, mediocriter craſſa, læuia, æqualia, quæque dolorem tollant, & minuant morbũ: atque vt facilè & citò, id eſt, ſine multa tuſſi extuſſiantur. Quæ dotes, vt docet Galen. comm. in progn. facultatis, tum naturalis, tum animalis robur, materiæ benignitatem, atque aſperæ arteriæ, ac bronchiorum pulmonum libertatem, demonſtrant. Contrarium verò tanto deterius eſt, quanto pluribus conditionibus ab optimo recedunt. Exempli gratia, in pleuritide ſputum album, quo oſtenditur nihil educi de materia morbifica, eſt inutile. Quod ſi craſſum immoderatè & lentum fuerit, vel tenue ac varium, inde materiæ vitium oſtenditur. Si verò rotundum, colore flauo, eruginoſo, vel nigro præditum, caloris febrilis exceſſus, & malignitas humoris ſignificatur. Si denique non niſi cum multa tuſſi educi poſſit, vel ſupprimatur omninò, omnes prædictas cauſas, ſimul cum bronchiorũ obſtructione colligere poſſumus: vnde prognoſis maior certitudo, additis circunſtantiis initio huius capitis commemoratis, & aliis ſignis ſuperuenientibus.

De progn. cruentæ ſpuitionis.

CAP. IV.

SOlet ſanguis è multis partibus prodiens, reiici per os, quod diſtinguitur aut per ſan-

guinem ipſum excretum, aut per modum excernendi, aut per alia partium propria ſymptomata. Quatenus ſcilicet ſolo ſcreatu, & ſine tuſſi, aut pauca, aut multa excernitur. Primum ſignificat ſanguinem è cerebro prodire, paucum quidem & rubrum, reſeratis meningum venulis, aut à calore & tenuitate ſanguinis, aut vi frigoris expreſſis, aut nimio humore laxatis. Quamuis aliquando multus irruens in fauces & guttur, cum tuſſi reiiciatur. Quod imponit ſæpe medicis putantibus à pulmonibus prodire. Sanguinem verò è capite elabi, oſtendit abſentia ſignorum, quæ affectũ thoracem ſignificant, & palati titillatio, creber excreatus, leuitas capitis poſt ſcreatum ſanguinem, palati cruenta ſordities, ore aperto cognita: ex gutture, hepate, liene, ſanguis educitur pauca tuſſi. Sanguinem ex pectore & variis pectoris partibus prodire, in genere oſtendit, non ſolùm multa tuſſis, ſed etiã ponderis cuiuſdam ſenſus, & reſpiratum magis vel minus difficilem, ſcilicet pro magnitudine cauſæ, ſanguinis effuſi copia, & locorum affectorum varietate. Siquidem ſanguinem fluere è cauo pectoris, demonſtratur eius excluſione, cum multa tuſſi & dolore ac coagulatione: coit enim ſanguis facilè extra vaſa, quia minùs calet, & ita concretus, difficilè in aſperam arteriam migrat, nec niſi iterata tuſſi, & dolore membranarũ poteſt educi. Additur quod per interualla

recurrit.

recurrit. Sanguinem è membrana ſuccingente, & mediaſtino expectorari, oſtendit eius paucitas & tenuitas, exactáque permixtio, atque eiuſdem cum moleſta tuſſi, & dolore mẽbranarum proprio, expurgatio. Sanguinem è pulmone educi ſignificat ſanguis ex toto expumeſcens, ex carne nempe viſceris, cuius induit ſimilitudinem: (eſt enim pulmo quaſi coagulata ſpuma) ſpumæ rotunditas, & quod per interualla interciſus ſeparatúſque ſanguis egrediatur color albidus, ex permixto plurimo aëre. Sanguinem è magnis vaſis exire, oſtendit eius copia multo maior quam quæ à thorace, frequentia, ſpirationis difficultas maior, caloris & feruoris maioris intus perceptio, pondus à ſanguine effuſo & ſuppreſſo. Ab arteriis ſanguis exit flauus, tenuis, ſpumoſus, valdè calens, cum pulſatione cordis, & febre inſeparabili. Hæc quia plurimùm faciunt ad prognoſim, erant prælibanda. Quibus ad certiorem coniecturã addendi ſunt modi triplices, quibus è vaſibus propriis ſanguis ſolet exire. Quorũ primus eſt, apertio oris venarum, anatomoſim Græci dicunt, in qua quia ſanguis exit ſine dolore, ſine febre, ſine inflammatione vlla partium internarum, nullum portẽdit periculum: imò magna ex parte eos iuuat, quibus hæmorrhoides vel mẽſes ſunt ſuppreſſi. Secundus appellatur diapedeſis, id eſt, venarum apertio. In qua ſanguis ſeroſus, veluti tranſco-

latus, aut ſudoris modo tranſmiſſus, per rarefactas vaſorum tunicas,facile diffluit.In hac enim ait Galen.de ſymptomatum cauſis, propriè non eſt ſanguis qui effunditur, ſed ſeri ſpecies quædam. Et hic modus medio modo ſe habet : aliquando enim iuuat eos quibus aliqua conſueta euacuatio ceſſauit:aliquando non caret periculo, propter fluxus abundantiam, & vlceris remanentis difficilem curationem. Tertius modus eſt diaurosis Græcis,in qua ſanguis per eroſionem exit; cuius indicia ſunt,nulla manifeſta cauſa præcedens & antegreſſa & debilitata hæmatoſis:in ea enim multus ſanguis tuſſi eiicitur, interdum cum ſanie,interdum cum carunculis quibuſdam & ramentis, è ſubſtantia pulmonis, bronchiorum, venæ & arteriæ, qui modus omnium eſt peſſimus. Soboles enim eſt acris humoris,in tabem deſinens,& immedicabilis,propter pulmonum imbecillitatem,motum continuum & mollitiem.

De prog. ſputitionis bilioſæ.

CAP. V.

APparet ſputũ bilioſum potiſſimũ in pleuritide:fieri enim ſolet pleuritis ab humore tenui,& bilioſo per aph.33.lib. 6. *Qui acidum ructant rarò fiunt pleuritici.* In quo ſputo ſinceri-

tatem

tatem damnamus, authore Hipp. ſicut in aliis omnibus excretionibus. Quorum tamen ſi facilis ſit expulſio, non auferunt ſalutis ſpem. Non enim tãtùm poteſt prauitas ſputi ad ſignificandum mortem, quantum prompta & facilis eductio, ad ſalutem: viſi enim ſunt multi euadere cum ſputis etiam nigris, ſicut nonnulli cum bonis ſputis mori, cùm ſcilicet ſupprimuntur: quæ ſuppreſſio, ſi vllis aliis excretionibus, in hac maximè ſuſpectãda eſt. A qua & furorẽ & phrenitidem ſequi exiſtimat Hipp. Spectata bilis natura, quæ ſua tenuitate facilè transfluit, caloris vehementia rapitur, & qualitatis acrimonia, partes in quibus ineſt, ad expulſionem irritat, donec partem aliquam principem obſederit. Inde prognoſis.

De prog. ſputi craſſi & tenuis.

Cap. VI.

MAgni momenti eſt ad iudicium de morbis per excrementa ferendum, diſtinguere ea quæ à calore naturali alterãtur, ab his quæ à calore præter naturam Illa ſiue ſputa ſint, ſiue humores alii temporis progreſſu in illo coctionis tractu, quandam acquirunt craſſitiem & viſcoſitatem: permixto ſcilicet exactè ſucco liquidiore cum craſſo, licèt initio nullam habuerint.

latus, aut ſudoris modo tranſmiſſus, per rarefa-ctas vaſorum tunicas, facile diffluit. In hac enim ait Galen. de ſymptomatum cauſis, propriè non eſt ſanguis qui effunditur, ſed ſeri ſpecies quædam. Et hic modus medio modo ſe habet: aliquando enim iuuat eos quibus aliqua conſueta euacuatio ceſſauit: aliquando non caret periculo, propter fluxus abundantiam, & vlceris remanentis difficilem curationem. Tertius modus eſt diauroſis Græcis, in qua ſanguis per eroſionem exit; cuius indicia ſunt, nulla manifeſta cauſa præcedens & antegreſſa & debilitata hæmatoſis: in ea enim multus ſanguis tuſſi eiicitur, interdum cum ſanie, interdum cum carunculis quibuſdam & ramentis, è ſubſtantia pulmonis, bronchiorum, venæ & arteriæ, qui modus omnium eſt peſſimus. Soboles enim eſt acris humoris, in tabem deſinens, & immedicabilis, propter pulmonum imbecillitatem, motum continuum & mollitiem.

De prog. ſpuitionis biliosæ.

CAP. V.

APparet ſputũ bilioſum potiſſimũ in pleuritide: fieri enim ſolet pleuritis ab humore tenui, & bilioſo per aph. 33. lib. 6. *Qui acidum ructant rarò fiunt pleuritici.* In quo ſputo ſinceritatem

tatem damnamus, authore Hipp. sicut in aliis omnibus excretionibus. Quorum tamen si facilis sit expulsio, non auferunt salutis spem. Non enim tātùm potest prauitas sputi ad significandum mortem, quantum prompta & facilis eductio, ad salutem: visi enim sunt multi euadere cum sputis etiam nigris, sicut nonnulli cum bonis sputis mori, cùm scilicet supprimuntur: quæ suppressio, si vllis aliis excretionibus, in hac maximè suspectāda est. Aqua & furorē & phrenitidem sequi existimat Hipp. Spectata bilis natura, quæ sua tenuitate facilè transfluit, caloris vehementia rapitur, & qualitatis acrimonia, partes in quibus inest, ad expulsionem irritat, donec partem aliquam principem obsederit. Inde prognosis.

De prog. sputi crassi & tenuis.

Cap. VI.

MAgni momenti est ad iudicium de morbis per excrementa ferendum, distinguere ea quæ à calore naturali alterātur, ab his quæ à calore præter naturam Illa siue sputa sint, siue humores alii temporis progressu in illo coctionis tractu, quandam acquirunt crassitiem & viscositatem: permixto scilicet exactè succo liquidiore cum crasso, licèt initio nullam habuerint.

rint. Hinc excrementa per aluum redduntur crassa, his quibus coctio in ventriculo & intestinis benè fit. Sputa in inflammationibus thoracis. Pituita in distillationibus, in grauedine, in lippitudine. Hinc denique pus crassescit in vlceribus,&c. Ab eodem calore naturali, quæ lenta sunt, aut crassa, & sicca vt coquantur, æquari & ad mediocritatem duci debent. Contrarium autem aduenit his, qui à calore præter naturam resiccantur. In quibus non solùm non permiscetur quod liquidum est, serum crasso, sed incendio febrili penitùs absumitur. Vnde fit vt terrenæ substantiæ plurimum, aquosæ paucum remaneat,nec viscositas incidatur, aut crassities attenuetur:sed potiùs exiccetur,& induretur. Proindè Hipp. sputum laudat, quòd neque sit admodum liquidum, aut aquosum, neque valdè crassum aut lentum, sed moderatum sine vtroque excessu. Tale namque facilè & citò expuitur,maximè si vires valeant, atque vegetum calorem ostẽdit. Sputum igitur quod tenuius est adhuc, dum humor crudus est, nedum calefactus, aut permixtus crasso, difficilè extussitur. Quia cùm inter tussiendum subleuatur, à spiritu diuisum refluit: crassum verò, glutinosum, rotundum, quia tenaciter adhærent, eorum est etiam difficilis expuitio. Et quoad prog. nihil certò statui potest de morbi exitu per sputum. Quale & quantumcunque fuerit.

fuerit. Sputa enim quantumuis praua, nũquam tamen omninò & necessariò mortalia sunt per se ex sententia Hipp. Ea enim simpliciter mala aut periculosa pronuntiat. Spectanda sunt ergo alia signa, ab his quæ ab sputis sumuntur: atque in omnibus, aliorum signorum consensum, firmandum est præsagium. Sunt enim singulorum vires diligenter inter se conferendæ, vt intelligatur quantum vel in melius corpus, profecerit, vel versum sit in deterius.

De progn. sputionis spumosæ.

Cap. VII.

DVæ sunt sputi spumosi differentiæ, vna à pituita, in qua sputum albicans, altera humoris biliosi, vbi sputum biliosum syncerum & spumescens expuitur. Prioris causa est flatus permixtus, interueniente agitatione, vt cùm aqua hordeacea ex alto effunditur. Posterioris causa est calor igneus, feruens, & quasi incendio materiam fermentans. Perseuerat autem plus, minus vtraque spuma, pro maiore vel minore spiritus contenti crassitie, qui superius ferri nec erumpere potest, atque à lentore humoris, qui vi continet spiritum. Quoad prog. Sputum spumosum albicãs, quia pituitæ tribuitur Galeno, in lib. 1. de crisibus, quæ post sanguinem pleuritidem

tidem mitiſſimam inuehit, minus habere periculi æſtimatur, preſertim cùm pulmo, omnem ferè humorẽ quem excipit, album, ſpumoſum, tumidúmque reddere ſoleat. Quoniam plurimum aëris, quo abũdat, perpetuo motu, humori neceſſario permiſcet. Sputum autem bilioſum & ſyncerum ſpumeſcens, quia calorem vehementem teſtatur, éſtque incendij interni, atque vehementis in corpore agitationis, & colliquationis ſignum certiſſimum, lethale æſtimatur.

De prog. ſpuitionis purulentæ & fœtidæ.

Cap. VIII.

FOetidum cum purulento coniunximus, propterea quod Hippocr. inter notas boni puris fœtorem addit. Dicitur autem ſputum purulentum in quo pus per os eiicitur. Cuius optimi quatuor notas ponit Hippocr. in progn. albedinem ſcilicet, quam integritas partium ſeminalium inducit. Aequalitatem, quæ vniuſmodi materiæ rationem, in craſſitie, tenuitate, colorem & coctionem ſignificat: leuitatem, quæ vis caloris natiui ſeſe æqualiter in omnes partes inſinuantis, profert: & fœtorem nimium. Pus enim ex quocumque loco exeat, medium eſſe debet inter quod putet & grauiter fœtet, & quod

quod nihil graue expirat. Peſſimum verò pus eſt contrariis qualitatibus præditum, aut omnibus, aut pluribus, vt nigrum, aſperum, inæquale, cœnoſum, valdè fœtidum. Nam cùm triplex ſit in animalium corporibus alteratio, vna planè ſecundùm naturam, in qua alimentum coquitur & aſſimilatur: altera planè præter naturam, in qua humor omninò corrumpitur ac putreſcit à calore præter naturã, ſine vlla coctione. Tertia media inter vtramque, in qua humorem vincit natura priùs, quàm corrumpatur: ſed tanquam alendo ſuperfluum & ineptum, expellit. In hac poſtrema fit pus, in quo efficiendo, quia modica putredo inuenitur, à calore extraneo reſiſtente coctioni, modicus debet eſſe fœtor ſicut in prima, in qua humor planè ſuperatur à calore natiuo, nulla eſt graueolentia. Cenſetur itaque ſputum purulentum grauiter fœtẽs, peſſimum, vt ſignum & vt cauſa: vt ſignum quidem, quia ſignificat calorem natiuum omninò ſuperari, & vinci à materiæ prauitate, in qua calor extraneus dominatur: vt cauſa verò, quia ſua acrimonia partes ambientes exulcerat & erodit, humiditate nimia putrefacit, praua qualitate corrumpit: & halitu tetro deliquia animi, conuulſiones, & alia grauia ſymptomata adfert. Quantum ad prog. purulenti ſputi, ſpectandum eſt maximè in affectibus pulmonum & partium thoracicarum, & potiſſimùm in ſuppuratis, in quibus

quibus talis ſputatio laudanda eſt multis nominibus. Primò, ſi facilitas morbi ferendi ſequatur:eo enim virium robur in parte affecta,ſignificatur, nec à morbo ſuperari naturam,nec malignam eſſe materiam: quia nullam mouet inquietationem. Secũdò, ſi doloris alleuatio contigerit. Teſtatur enim cauſam morbificam eſſe deuictam: maximè ſi cum ſignis coctionis, & critica aliqua excretione fiat. Tertiò, ſi facilè expectoretur: quo colligimus facultatis animalis integritatem, muſculorum intercoſtalium robur, humoris benignitatem,& liberos ductus bronchiorum. Quartò, ſi æger bene ſpirêt: habet enim bona ſpiratio magnam vim ad ſalutẽ, maximè in morbis pulmonum, & thoracis. His igitur omnibus conſentientibus, non poſſumus nõ bene de exitu ægritudinis ſperare.Nam vt æger à graui ægritudine ſeruetur,multa ſigna bona concurrere neceſſe eſt: habet enim vnum ſignum malum plus virium aliquãdo in necando,quàm plura bona in ægro liberando.Multos tamen inter ſigna grauia & lethalia euaſiſſe obſeruauit Hippo.in epid.quibus tria hæc integra aderant: pulſus nempe,reſpiratio,& appetentia, quod (vt alibi diximus) ad ſalutem magnam habere vim comperiantur.

De prog.

De progn. ſpuitionis liuidæ & eruginoſæ.

Cap. IX.

QVemadmodum liuor in parte liuente, caloris natiui quãdam extinctionem ſignificat, à calore extraneo, aut à frigore, aut à putredine contractam: (liuida enim euadunt quæ perfectè putrent) ita in excrementis quæ nigra ſunt ab atra bile pura, eum colorem cõtrahunt; quæ verò liuida ab eadem quidem, ſed pauca. Vt igitur de liuore & nigrore ſputi certior ſit prognoſis, diſtinguendum eſt illud quod euẽtu fit, vt à cibo, fuligine humoris melancholici, à ſanguinis grumo, ab eo quod meracum ab atra bile, vel mortificatione oritur. Hoc enim ſputum liuidnm, in malis ſemper habendum, & maximè ſi fœteat. Omnis enim fœtor ex abundãtia caloris extranei, in putredine oritur, ſicut liuor defectus caloris innati eſt ſoboles. Sputum autem eruginoſum non minùs funeſtum eſt: naſcitur enim ex bile æruginoſa, quæ eſt media inter flauam & atram, per calorem immodicum quo ſupra modum exaſſatur. Ob id, cùm ſit acerrima, erodens & maligniſſima, ſemper & materiæ ex qua gignitur, & loci vnde manat, vehementiſſimum calorem declarat.

De progn. multæ & paucæ ſpuitionis.

Cap. X.

PAucum vel multum, frequenter vel rarò ſpuere, ad quantitatem continuam, vel diſcretam refertur. Sputi ergo paucitas ſuſpecta quidẽ valdè eſt in pulmonia & ſemper, in pleuritide non ſemper. Nam per totum ſpacium incrementi pleuritidis, ſi morbus eſt ſalutaris, humida & omninò cruda, eáque pauca ſpuuntur: deinde accedente incremento, pauca & cocta. denique circa ſtatum & criſim, exquiſitè cocta: multa & facilia. Ex quo firmo progreſſu, eóque ordine gradatim facto, vincentis naturæ robur, conſtantémque actionem deprehendimus: at in pulmonia ſiccitas, & omnis ſputi etiam cocti paucitas, horrenda eſt. Primùm, quia commune eſt omnibus febribus, nullum paucum eſſe criticum. Secundò, quia hoc eſt peculiare peripneumoniæ, vt propter laxitatem & raritatem loci affecti, ſemper aliquid humoris debeat expectorari. Quod de pleuritide dici nõ poteſt. In hac igitur pauca expectoratione aut nulla, facultatis vitalis & motricis imbecillitas, & ſumma pulmonis anguſtia, arguitur. Cuius paucitatis ratione ſola, etiãſi coctionis ſigna appareant, à morte metus eſt. Non enim tunc aut loci diſtantiam, aut humoris cruditatem, poſſumus

incuſa

incuſare. In hoc igitur morbo, & in aliis pectoris (in quibus potiſſimùm ſputa conſideramus) maiorem eſſe vim ad ſalutem facili expectorationi tribuendum, quàm ſignis coctionis, ſine quibus, ſolo beneficio animalis facultatis, multi liberantur, qui eadem collapſa cum ſignis coctionis intereunt.

De progn. à ſuppreßione ſputi.

Cap. XI.

AD ſputi paucitatē ſpectat eius omnimoda ſuppreſſio, quæ fit aut quia materia omnis expulſa, aut quia humoris ad caput ipſum tranſlatio facta eſt, vt de bilioſa pleuritide diximus: vnde vigiliæ, diliria, & furor ſequuntur per aph. 5.3. porrh. *Lateris dolor ex ſputis bilioſis, ſi abſque ratione euanuerint, in furorem aguntur.* Quæ tranſlatio pernitioſa eſt duabus de cauſis: vna communi, quia quò plures partes & facultates ſunt labefactatæ, eò pernitioſiùs habent ægri: altera propria, quia in morbis thoracis facultatem animalem validiſſimam eſſe oportet, vt mouēdo thoracem, & materiæ expectorandæ ſufficiat. Denique ſputum ſupprimitur, quia vehementi illa thoracis compreſſione nō ampliùs poteſt commoueri: moriente ſcilicet facultate, & nihil mouente. Et hanc tuſſis & ſputi ſuppreſſionem, mors neceſſario ſequitur.

De progn. ſputi ſalſuginoſi & dulceſcentis.

CAP. XII.

SAlſum ſaporem facit terrena ſubſtãtia aduſta, & mixta cum aqueo humido. Ita vt ſal fieri poſſit ex eorum omnium cinere quæ vruntur, effuſo humore aquoſo. Sic exhalationes calidæ & ſiccæ, ſi magna copia fuerint mixtæ cum aqua, ipſam ſalſam efficiunt. Sic pituitam ſalſam arbitratur Auicennas fieri à putredine, aut aduſtione. Dicunt etiam ſalſedinem fieri in ſputis, per admiſtionem bilis aduſtæ: cui ſalſedini ſi addatur lentor in ſputis, non ſolùm erodunt, propter acrimoniam, ſed etiam vias, per quas ſpiritus euadit, coarctãnt: pertinaciter enim, propter lentorem, adhæreſcunt bronchiis pulmonum. Vnde etiam denſitatem membranarum non poſſunt penetrare. Ex quibus colligimus talia ſputa eſſe praua, vt ſignum & vt cauſa: vt cauſa quidem, quia pulmonem exulcerant: vt ſignum verò, quia materiæ contumaciam, & calorem vrentem ſignificant, & ſi retineantur, mortem imminentem oſtẽdunt, maximè ſi vna quoque tuſſis & halitus ſupprimãtur. Et quoad ſputum dulceſcens, in pleuritide bilioſa, non caret ſuſpicione: ſicut excrementa aurium quæ amara eſſe debent, in malam partem accipit Hippocr. ſi dulceſcant. In affectibus autem pulmonis ſputa dulcia ſalſis ſolent ſuccedere, tribus

bus de caufis. Vna falutari, ex coctione & apta temperie, in his qui fanantur priùs, quàm omninò purulenti fiant: altera periculo, in illis qui exulcerato pulmone ad phtifim tranfeunt. In hac enim fputa vt plurimum falfuginofa funt. Deinde pure dulci concepto, aut vafe aliquo erofo, aperto, vel rupto, fanguine permixto pituitæ, dulcefcunt. Quod Hippo. in malis habet 3.de morbis. Tertia prorfus lethalis,à colliquatione partium folidarum,vt in moribundis.Excrementa enim (inquit Galen.commen.in fent. 5.lib.6. epid.) quæ amara effe debent, fi dulcefcant, colliquationem fignificant. Quòd fi fputum falfum fit, & interrogatus æger, dulce fe percipere fateatur, non minus periculofum eft. Id enim accidit, aut quia calor natiuus in parte guftante extinctus eft, vnde æger fpeciem veri faporis non ampliùs difcernit. Tales enim cùm verum guftum non habeant, omnia putant effe dulcia: quoniam contrariorum faporum abfentia, dulcedinis fpeciem refert, quorum ipfa abfentia,priuatio quædam eft.

De progn. fpuitionis freqnentis.

Cap. XIII.

DE frequenti fpuitione varium iudicium afferri folet, quatenus aut confuetudine,

aut ſine neceſſitate, aut cum ea contingit. Aliquando enim his ſuccedit, quibus metaſtaſis materiæ fit, & abſceſſus ad aures, vnde parotides. Cuius materiæ portio, ſi in oris capacitatem decumbat, tuſſim & frequentem ſpuitionem facit. Vnde parotides ſubſidẽt, & molliores fiunt, vacuata ſcilicet ſenſim materia. per apho. coac. *Quibus irritamenta in faucibus, iis clementes ad aures tumores.* Aliquando mentis læſæ & delirij eſt ſignum: ſed priùs quàm frequens ſputatio inter ſigna phrenitica numerari debeat, conſiderandum, num qui frequenter ſputat, aut excreat, aliquid educat. Nam ſi educit, id à diſtillatione eſſe poteſt: ſicut in ſanis oriri ſolet, ab ore ventriculi, cùm nimio humore madet, & imbecillũ eſt: aut ab humidiore cerebro: aut à partibus oris, è quibus humiditas ſuperflua exprimitur. Quæ ſputatio frequens, nihil phreniticum propriè ſignificat. Adde quòd raró in phrenitide, morbo ſicciſſimo, & cũ lingua aduſta, hoc ſymptoma apparet. Si tamen fiat ſine ſupradictis, vel magnitudinem inflammationis oſtendit talis ſputatio, è qua ichor in os exudat, ſimilis tenui lacrymæ, quæ ex oculorum inflammatione manat; vel vomitum futurum prænuntiat, propter membranæ continuitatem, quæ ori toti interno communis eſt. Quòd ſi per excretionem, aut ſputationem frequentem, nihil educatur, læſam mentẽ denuntiat, præſertim ſi aliud quodpiam

ſignum

ſignum adfuerit: quia voluntaria omnis actio quæ præter rationem, vel exuperans, vel deficiens, in qua decorum non ſeruatur, inter ſigna phrenitica numeratur, per aphor.in coac. *Facere quid præter conſuetudinem, velléque ea quæ priùs non conſueuerat, aut contrarium iis quæ fuerant conſueta, malum & proximum dementiæ.*

De progn. ab hæmorrhagia.

Cap. XIV.

HÆmorrhagia vel ſanis fieri ſolet, vel ægris. Illa naturalis eſt, à copia & feruore ſanguinis procedens: qui ſanguis ineunte ætate, non ſolùm in alimentum, ſed in incrementum corporis conſumebatur: & ſimulátque in pubertatem peruenerint, incipiunt hircire, inquit Hip. ſect. 3. lib. 6. epid. In hæmorrhagiam incidunt: nunc per nares, ſi maſculi, nunc per vterum, ſi femellæ fuerint; nunc per hæmorrhoides, aut per dyſenteriam cruentam, vt in plethoricis, aut mutilatis. Quæ cõſueta & periodica euacuatio ſi ſupprimatur præter rationem, id eſt, nõ miſſo ſanguine, aut aliter diminuta, aut vacuata copia, neceſſariò morbum aliquem plethoricum accerſit. In parte potiſſimùm quæ cæteris imbecillior fuerit.

Hæmorrhagia ægrorum, aut critica eſt, & vel

perfectè iudicans morbum, vel imperfectè; aut symptomatica est. Perfectè quidem iudicatur morbus hæmorrhagia, natura superante, antegressis coctionis signis, si die indicatorio crisis demõstrata sit, diéque critico è directo fiat euacuatio, si speciei morbi & magnitudini respondeat; si externis circunstantiis conuenientibus contingat, nempe, ætate, temperamento, victus ratione, loco, anni tempore & constitutione; denique si morbi & symptomatum leuatio sequatur. Imperfecta vero erit crisis, & cum periculo, si sanguis modò parum, modò largiter fluat, per interualla.

Hæmorrhagia symptomatica, aut in longis aut in acutis morbis fit. In longis sequitur ad vitiosam constitutionẽ partium internarũ, & potissimùm hepatis, lienis; interdũ etiam capitis. In harum enim affectibus sanguis, aut profunditur copiosè, resoluto scilicet, aut obstructo hepate, vel liene. In lienosis enim sanguis tenuis sursum rapitur ac diffluit: crassior verò in splene relinquitur, quo repletur ipse & hepar replet, quia non expurgat.

Hæmorrhagia symptomatica in morbis acutis, paucas sanguinis stillas excernit, vi febris, crisi frustra tentata, & malignitate morbi, vitio sanguinis & cerebri debilitate. Quod stillicidiũ iudicatorium est non iudicans, & ideò prauum dupliciter. Primùm, quia indicat materiam rapi ad

ad caput partem nobilem, cui natura dominari non poteſt: deinde quia naturam copia, aut malignitate materiæ opprimi denuntiat, aut ad extremam infirmitatem recidiſſe. Quæ moliri aliquid tentans, prima ſtatim aggreſſione ſuperata, ſuccumbat pugnæ. Quod omnium ſignorum eſt peſſimum. Non minus quam ſi puſtulæ, aut tubercula intrò foras erumpentia, celeriter diſpareant.

De progn. vomitionis.

Cap. XV.

DE vomitu quatenus motus cōcuſſiui ſymptoma eſt, egimus libro tertio. Hîc autem tantùm conſideramus excrementa, quę per vomitum reiiciuntur, vel criticè, vel ſymptomaticè. Criticus vomitus rarus quidem noſtris, frequentior temporibus Hippoc. laudatur apud eundem Hipp. qui ex pituita & bile permixtus eſt, nec admodum craſſus ſero exhauſto, nec paucus, aut copioſus & frequens, nec ſubputridus & fœdi odoris, nec liuidus, niger, aut his omnibus coloribus variegatus. Laudatur quoque vomitus & criticus æſtimandus, qui morbi remiſſionem adfert, & à toto corpore manat. per aphor. in coac *Vomitio minimùm moleſta eſt, quæ bile & pituita permiſcetur, qua non valde multa & copioſa*

euomantur. Symptomaticus vomitus febribus ſuperueniens, aut eaſdem concomitans, coniunctus eſt cum anxietate, quæ cum faſtidio & nauſea copulata, oſtendit ventriculum affici; cum viſcerum æſtu, ſignificate incendium in partibus circa ventrem, vbi ocus febris latet & materia exuritur. Quæ anxietas praua eſt, vt ſignum & vt cauſa, vt ſuo loco declarauimus:

De progn. cruentæ vomitionis.

CAP. XVI.

SAnguis qui per os reiicitur, à qua parte erumpat, oſtendit modus excernendi (vt antea dictum fuit) & eius copia. Nam qui copioſus ſanguis euomitur, aut à pulmonibus manare, aut à ventriculo, certum eſt. Illic tamen cum tuſſi, hîc cum nauſea reiicitur. Ad ventriculum autem tantus ſanguis redundare non poteſt, niſi ab hepate aut liene, aut ab vtero, per venas, quæ ventriculi membranis inſerũtur; idque in plethoricis, mutilatis, otioſis, & opiparè de gentibus. Atque in quibus ſuppreſſæ ſunt hæmorrhoides, aut menſes, aut grauis aliquis affectus iecur aut lien obſidet. Quorum vnumquodq; propriis ſymptomatis declaratur. Vtrũ autem ſanguis à proprio affectu ventriculi, aut aliunde effluat, tam per vomitum, quàm per ſeceſſum,

cessum, declarat sanguinis substantia & color. Liquidus & ruber de aluo exprimitur, Niger verò *& rumbosus* per aluũ trãsmittitur. Et quoad prognosim, omnem excretionẽ sanguinis, quæ vel vomitu, vel deiectione fit, damnat Hippocr. Quamuis collecta copia sanguinis integris viribus, nullo ægri periculo, potest vomitu deiici. Quæ si retineatur, vel concrescit, vel putrescit, & tandem veneni vim concipit.

De progn. meracæ vomitionis.

Cap. XVII.

MEracum apud Hippocratem aliquando appellatur omnis humor mixtionis expers, vt omne excrementum fœtidum & crudum, quod suo sero dilutum non est. Cuius generatio facta est, vel partis alicuius vitio, vel feruore & incendio febrili, exhausta scilicet aquosa, & serosa parte. Propria tamen significatione, per meracum intelliguntur, biliosa, atrabilaria, porracea, eruginosa excrementa. Nam bilis ipsa, quia inter omnes humores maximè aquea humiditate diluitur, cum nempe cocta est & naturalis, ideò prima fere accenditur in febribus, generatúrque ex reliquis humoribus per incendium: idcirco Gal. per meraca biliosa interpretatur. Meraca igitur vomitio omnis mixtionis expers, quia symptomatica semper

est:

eſt: & à labe partis officialis, lienis nempe, hepatis, ventriculi, ſequitur, aut à febre ardente, cuius incendio ſerum abſumitur, inter ſigna lethalia ſemper eſt habenda.

De progn. vomitus eruginoſi & nigri.

Cap. XVIII.

PRognoſis eruginoſę vomitionis certius colligitur, præpoſita diſtinctione porracei humoris & eruginoſi. Ille enim generatur ſæpiùs ab alimentis corruptis in ventriculo, & peculiari quodam cruditatis vitio: quæ in infantibus torminoſis multa colligitur. In adultis etiam ac ſanis, ſtatis certíſque temporibus, vomitu vel deiectione repurgatur. Eruginoſus verò ortum habet à flaua bile ſupra modum exuſta, aut à craſſo ſanguine, aut à ſucco melancholico, ſemper calore præter naturam interueniente. Atrabilis igitur & eruginoſa, maximè quæ à bile aduſta fit, quocunque tempore appareat, & per quencumque locum feratur, lethalis eſt, vt ſignum & vt cauſa. Vt ſignum quidem, quia caloris ignei inexplicabilis cuiuſdam putredinis, & intemperiei inexpugnabilis viſcerum nobilium, & partium vnde manat, eſt ſignum certiſſium. Vt cauſa verò, quia tantùm retinet acrimoniam in tenuitate partium calidiorum, vt viſcera ipſa nobilia, ventriculum & inteſtina, erodat.

erodat. Craſſitie autem aliarum partium vſtarum ita contumaciter adhæreſcit, vt neque celeriter permeare queat, neque tota ſimul excerni: vnde cancri & vlcera immedicabilia naſcuntur. Hipp. tamẽ aph. 22. li. 4. videtur velle atrambilem in progreſſu morbi poſſe ſalutariter excerni per vomitum aut per aluum, cùm ait: *Morbis quibuſuis incipientibus, ſi atrabilis ſupra infráue exierit, pernitioſum.* Priorem ſententiam confirmat Gal. in coment. Verum quippe eſſe & perpetuum atrambilem, per vſtionem genitam, per quamcunque partem feratur, eſſe ſemper ſignũ mortale. Sed verum quoque eſt eundẽ nigrum humorem & atrabilarium, cuius acrimonia & malignitas retuſa eſt, per admiſtionem cæterorum humorum, vbi ſigna coctione apparuerint, poſſe bonis ægri rebus per vomitum & per aluum repurgari, & maximè ſi humor melancholicus à liene in ventriculum refluat.

De prog. vomitus in principio morbi contingentis.

Cap. XIX.

EXcrementorum quæ in principiis morborum excerni ſolent, multa ſunt genera. Vnum eſt materiæ antecedentis, quæ in ventriculo, aut toto ventre inferiore cunctatur: quæ excrementa non inutiliter excernũtur in principio

cipio morbi, ſicut diximus alui profluuium, in principio pleuritidis, interdum prodeſſe, ad reuulſionem materiæ antecedentis. Alterum genus eſt quorundam excrementorum tenuiorum partis alicuius affectæ, vt eſt ichor in vlceribus, à quibus nauſea cum pauco vomitu, reſudante ſcilicet ſero à copia ex venis in ventriculum, aut ab inflammatione, vt tenuia ſputa in principio pleuritidis. Tertium genus eſt eorum excrementorum quæ à partibus reſolutis manant imò potius colliquamenta ſunt, aut humores vtiles earundem partium: qualis eſt hæmorrhagia, ſplene grauiter affecto; profluuium alui in tabe; proluuies rubra, in infirmitate iecoris; vrina cruenta, in affectis renibus. Et hæc excrementa à quacunque parte ferantur, lethalem affectum oſtendunt. Quartum genus eſt eorum quæ ante coctionem à materia morbifica, natura fatigata ſecernuntur: quæ eò ſunt deteriora, quò longiùs abſunt à morbi ſtatu. De quorum omnium excrementorum prognoſi, hoc in vniuerſum dicitur, nullam excretionem in principio morbi carere ſuſpicione, propter rationes alio loco allatas.

De prog.

De progn. vomitus, in putridis febribus contingentis.

Cap. XX.

NAuſeam & vomitum fieri affecto ventriculo, aut per ſe aut per conſenſum, dictùm eſt antea. In febribus autem putridis contingit vtrumque ſymptoma fieri, aut propter reſudationẽ è venis, aut humorum confluxum ad ventriculum, aut à phlegmone partis alicuius vicinæ, raro à primigenio affectu ventriculi, qui vomitus tunc ſedatur venæ ſectione. Quæ formidanda non eſt ſtatim in principio, quamuis nauſeabundi videantur ægri. Aeſtimatur autem talis vomitus prauus, vt ſignũ, & vt cauſa. Nam quatenus indicat humoris malignitatem in ore ventriculi, qui non poteſt excerni, prauum ſignum eſt. Quatenus verò continuis lacerationibus & vellicationibus, vẽtrem affligit, & grauiter lædit, phlegmonémque vel facturns eſt, vel aucturus, ſi iam ſit facta malum æſtimatur vt cauſa, per aphoriſmum: *Nauſeantes citra vomitum, exacerbationibus tentari malum, & qui vellicantur citra vomitum,*

De prog.

De prog. vomitionis cum alui fluxibus.

CAP. XXI.

IN vomitu vim esse aluum adstringendi & mouendi, colligitur ex illo Hippoc. 2. acutorum. *Vomitum ventrem compactum soluere, & egerentem magis quam oportet, sistere.* Idem sentit aph. 15. lib. 6. *Longo alui profluuio laboranti, superuenientem spontè vomitum soluere morbum.* Non tamen perpetuum est, vomitum vtilem esse in omnibus alui fluxibus sistendis. Dysentericis enim vomitus biliosus malus iudicatur Hippoc. maximè si in principio contingat. Primò, quia humor sursum fertur, qui per inferiora debebat euacuari. Secundò, quia in principio nihil benè excernitur à natura. Et semper prauum iudicatur, stomachum per sympathiam affici in dysenteria.

De prog. vomitus, vulneribus superuenientis.

CAP. XXII.

QVamuis in omnibus vulneribus, præsertim his quę partibus neruosis infliguntur, vomitus superuenire soleat (habet enim ventriculus cum partibus neruosis nō modicam communionem) maximè tamen & frequentissimè con-

contingit in vulneribus capitis, potissimùm cerebro sauciato, aut dura eius mēbrana diuulsa. Idque non solùm initio propter dolorem, sed etiam post initia propter inflammationem & febrem. per aphoris. *Quibus diuulsum est cerebrum, iis febrem & biliosum vomitum superuenire necesse est.* Fit autem biliosus vomitus in omnibus vulneribus duobus modis: vno, per continuam bilis syncerae generationē à febre acuta, & per phlegmonem partis vulneratae: altero propter alienationem loci sauciati, quae tanta est vt per neruos ad cerebrum perueniat, & inde ori ventriculi communicetur. De exitu autem vulnerum, nihil certi statui potest per vomitum: alia enim signa certiora sunt suo loco quaerenda. Per vomitum enim tantùm dignoscitur, vtrùm ex vulnere accepto cerebrum laesum sit, an illaesum. Laesum esse ostendit, vomitus à principio contingens, diutiùs perseuerans, aut per interualla rediens, aut si simul cum febre symptomatica cerebri inflammati incipiat. Illaesum verò, si in principio tātùm inceptus vomitus, diutiùs non vrgeat, neque quicquam ferè reddat, praeter ea quae aluo continebantur.

De prog. à dieiectionibus sumptis.

CAP. XXIII.

PEr alui deiectiones demonstratur constitutio & oeconomia partium naturalium. Pri-

mò, ſtomachi & inteſtinorum: ſecundò, ſimæ hepatis & conſequenter cæterarum partium. Quarum deiectionum bonæ & laudabilis conditiones initiò ob oculos ſunt ponēdæ, vt quantum ab his reliquæ omnes præter naturam diſtent dignoſcamus. Optimæ igitur deiectionis notæ hæ ſunt apud Hippocr. in prognoſticis, vt ſcilicet ſint molles, coagmentatæ, ſubrufæ, non valde graueolentes, hora conſueta excretæ, & ea copia quæ aſſumptis reſpondeat. Quæ notæ robur trium facultatum aluinarum ſignificant. In coquendo, retinendo, & expellendo: atque nullius aliunde humoris affluxu coinquinari.

De prog. liquidarum deiectionum.

Cap. XXIIII.

Longè abeſt deiectio liquida, ab ea, quæ naturaliter eſt coagmentata & figurata. Quæ tamen ſi copiosè, liberè, & rarò ducatur, ſine ſtridore, craſſeſcentibus excrementis, dum itur ad criſim, modò aluus ſolida ſit, non diſtenta, aut contracta, bona ſpe medicum recreat, & conſolatur. Eſt tamen in morbis acutis, deiectio liquida, aliquando magis damnanda, quā aluus adſtricta. Nam quamuis adſtricta aluo metus ſit ne caput lædatur, & febris augeatur: à liquida, nihilominùs contingit febrē inualeſcere, & caput

put lædi, vt videmus in febre pestilēti, vbi aluus sæpè fluit, & vires exoluit, & tamen ægri delirāt, & grauiùs febricitant. Liquescunt autem deiectiones vel criticè vel symptomaticè. Criticè aluum turbari ostenditur ex natura & motu morbi. Quibus addendum est, Si absint hæmorrhagiæ, sudoris, & vomitus notæ. Nulla siquidem ferè signa propria, & manifesta excretionis criticæ habemus. Quo fit vt per negationem, in his esse præsagiendum, admonet Gal. Symptomaticè verò liquescit aluus, vel vitio partium naturalium, & primæ cōcoctioni dicatarum, quo vel non coquitur alimētum, vel non distribuitur: aut vitio instrumentorum excretioni inseruientium: vel denique liquidæ sunt deiectiones à colliquatione, & resolutione partium. De quorū prognostico actum est suo loco. Damnat Hipp. deiectiones liquidas in veternosis iacentibus, in illis scilicet in quibus vires ita exolutæ sunt, vt ampliùs ipsum corpus portare non valeant. Quod si veternosi decubitus, pondus & oppressio oneris sola sit causa, non statim damnanda est liquida deiectio, quin potiùs salutaris æstimanda, siue natura, siue arte moueatur.

De prog. ſiccarum deiectionum.

Cap. XXV.

DEiectiones ſiccæ, circumſcriptæ proprio termino, & in globulos coactæ, dicuntur ab Hipp. caprarum ſimiles. Tales ſunt aut vehementi reſiccatione, aut humidi quo diffluunt abumptione. Cuius exiccationis cauſa duplex eſt, cunctatio nempe & mora in inteſtinis, atque caloris ignei abundantia. In illa interiores ſinus omnem humiditatem, calore etiam moderato agente, amiſerunt longo tempore. In hac, calor igneus vrendo, & humidum abſumendo, exiccat & indurat breui tempore. Vtra autem cauſa deiectiones exiccentur, nigrore diſtinguitur. Nam cùm à moderato calore, laxãdo, attenuando, & reſoluendo paulatim abſumitur humidũ, vſtionis nulla nota apparet. Nigra autem & retorrida, incendium viſcerum atque inteſtinorum, referunt. Talia exire ſolent in cauſo, & inflammatione iecoris, quæ praua ſunt vt cauſa & vt ſignum. Non enim excluduntur, niſi ad neceſſitatem, artificio per clyſmata aut glandes. Retenta verò, exhalant ad caput, & humorem ſurſum mouent. Significant etiam partes interiores præ ſiccitate & incendio exaruiſſe, magnámque naturæ infirmitatem.

De prog.

De prog. albarum deiectionum.

Cap. XXVI.

ALbeſcunt deiectiones, aut abſentiâ bilis, aut mixtione alicuius materiæ. Abſentiæ bilis tres ſunt cauſæ: vna eſt raptus ad cerebrũ, à feruore & igneo calore, vt in quibuſdam phreniticis, aut tranſlatio, vt in ictericis. Altera eſt inflammatio connexæ partis hepatis, quæ ardore, vnà cum bile, ſanguinem attrahit, inſtar cucurbitulæ. Tertia eſt obſtructio meatuum, per quos bilis in inteſtina reiicitur, ab humore craſſo, ſcirrho aut phlegmone. Quæ diſtinctio cauſarum in deiectionibus albis multùm facit ad prog. Nam deiectio talis ab abſentia bilis primæ cauſæ, ſuſpecta eſt & plerũque lethalis ob cauſas alibi allatas. Secunda magis vel minùs periculoſa eſt, pro magnitudine inflammationis hepatis. Ingens enim, valde lethalis eſt, niſi intra primum circuitum, hæmorrhagia, aut poſt viceſimum diem ſuppuratione liberetur æger. Tertia non eſt per ſe periculoſa. Albæ deiectiones à tranſlatione bilis in ictero, icteri ſequuntur exitum. Qui ſi antè ſeptimum diem accidat, interficere dicitur, motu morbi ſymptomatico, (de quo copioſiùs ſuo loco) niſi ſuccedat hæmorrhagia, aut vrinæ, aut alui profluuium, quæ naturam quaſi victam exonerat, quod tamen

rarò contingit. Prog.albarum deiectionum per accidens, & mixtione alterius materiæ, clarior erit, notatis affectibus quibus fieri ſolent. In colliquatione ſiquidem, deiectio alba eſt exigua & tenax. Tūcenim pinguedo igneo calore, qui tamen non admodum malignus eſt, colliquatur. Quod ſi eadem deiectio ſubpallida eſt & lenis, colliquationis maioris eſt indicium, in qua pinguedo à vehementiore calore abſumitur, vel quia pinguedo vetus aut ſemiputris exiſtit, grauiori periculo. De colliquatione à reſolutione, dictum eſt antea. Albeſcunt deiectiones meſenterio ſuppurato, cuius abſceſſus ſine doloris ſenſu, per venam proximam, in capacitatem recti aut coli inteſtini reiicitur bonis ægri rebus. Albeſcunt deiectiones à ſuppuratione thoracis, pulmonis, aut inflāmationis hepatis, & aliarum partiū internarum, in quibus vehemens dolor præceſſit, aut à toto venoſo genere, ſalubriter & pellente natura. Albeſcunt denique deiectiones & genituræ ſimiles redduntur in morbis longis & ſalutaribus, à vitrea pituita.

De prog. rubrarum deiectionum.

Cap. XXVII.

NOn rubeſcunt deiectiones niſi à ſanguine quæ communi nomine ſymptomatis dyſenteriæ,

ſenteriæ,non morbi, apud Hipp. intelliguntur. Cruentarũ deiectionũ quatuor differentiæ aſſignãtur apud Gal. 3. de ſymptomatum cauſis. De quib. egimus proprio capite de dyſẽteria. Quarum prima, quæ à ſanguine quantitate peccante eſt, plus periculi adfert à ſuppreſſione, quàm ab euacuatione opportuna. Quæ ſuppreſſio etiam importuna, valde ſuſpecta eſt in deiectione verè ſymptomatica, metu tranſlationis. Vnde meritò Gal. medicos damnat, qui tales deiectiones adſtringentib. medicamentis cohibere conantur. Suſpectæ tamen ſunt eiuſmodi humorum noxiorũ deiectiones, ſi in principio morbi contingant , in quo nihil benè poteſt excerni, aut ſine ſignis coctionis, aut poſt criſim fruſtra tentatam, aut denique ægro extenuato ad extremum & imbecillo. Quantùm ad cruentas deiectiones in dyſenteria hepatica, ſemper malæ sũt multis nominibus: Primò magnitudine cauſæ: Secundò nobilitate partis affectæ: Tertiò materiæ quæ alendo neceſſaria eſt, excretione: Quartò ſpirituum ſimul effluentium reſolutione.

De prog. nigrarum deiectionum.

Cap. XXVIII.

HVmorum nigrorum multæ ſunt differentiæ, quorum vnus naturalis proprio hu-

moris nigri nomine inſignitur. Non naturales ſunt quàm plurimi, omnes ab aduſtione geniti. Horum vnus fit à ſanguine aduſto & craſſo, alter ab aduſtione prædicti humoris nigri & naturalis. Tertius à bile flaua & vitellina, vehementer aſſatis;quā putant omnium ſæuiſſimam. Quartam ſpeciem addunt ab aduſtione pituitæ. Quæ humorum nigrorū diſtinctio confert plurimùm ad prognoſim, cùm alius alium ſuperet malignitate. Nam multū differt atrabilis à quocunque humore aduſto fiat, à ſanguine nigro & ſucco melancholico: illa enim eſt multò tenuior, calidiſſima, & eò calidior quò ex humore calidiore per aduſtionem facta eſt: quamuis mole terræ portione, frigida dici poſſit. Acerrima etiam eſt, & inſtar aceti mordax & erodens, ita vt terram excutiat & fermentet, nigra etiam eſt & ſplendens. Humor autem niger & melancholicus, contrarias habet qualitates: à quo etiā in eo diſtinguitur ſanguis niger: quia hic ſolus concreſcit, ſiue à fibris, ſiue à pinguedine qua refrigerata gelaſcit. Quoad prognoſim humor niger ſalubriter & per viā criſis ſub finem morbi, & ſine vlceratione inteſtinorum excernitur, præſertim lienoſis, modò ne longa ſit excretio, & vacuet ſuccum melancholicum & craſſum, ſiue ſeorſim, ſiue aliis humoribus mixtum. Deiectiones autem atrabilares, ſemper lethales ſunt, præſertim in principio morbi. Nam

ſi quæ

ſi quæ adhuc crudo morbo excernũtur, vi morbi non naturæ prodeunt,& vitio dantur:Multo magis atrabilis quæ interno æſtu atque incendio genita,vi morbi excluſa, dum per anfractus inteſtinorum deerrat, abradit, vlcerat, & cancroſa vitia imprimit. Imò pernicioſa ſemper eſt humoris huius excluſio, ſiue ſuprà, ſiue infrà feratur per aph. 22.lib. 4. Atque ſi excretio talis humoris mala eſt, multò magis in corpore eius retentio damnanda. Cùm atrabilis propter malignitatem, & materiæ inhabilitatem à natura neque coqui neque vinci poſſit, & priùs quam vincatur, interficit.

De progn. bilioſarum deiectionum.

Cap. XXIX.

DEiectiones bilioſæ cum febre, aut ſine febre, vel ortum habent ab alimentis valde bilioſis,vel ab hepate,aut à genere venoſo exurente ſanguinem, vbi coaceruatur bilis, quæ interdum in ventriculum confluit,ſi imbecillus fuerit, interdum in inteſtina, cùm ventriculus firmus eſt, & aliena excrementa ſuo robore facilè aliò regerit. Quod ſi tanta copia fuerit bilis, vt in ventriculum & inteſtina æqualiter influat: ſignum eſt plures partes ſimul affici, &

peius est malum. Gal.commen.in lib. 3.de morbis acutis, duplicem deiectionis biliosæ naturam agnouit: quarum vnam bonam appellat, quæ non meraca est, sed suo sero diluta, non abundè biliosa: Alteram malam, quæ valde syncera est, à bile flaua, vel vitellina; præsertim si spumet, non permixtione flatus aut agitatione, sed à calore igneo, feruorem quendam in illa excitante. Sunt autem tales deiectiones soboles pestilentis & colliquantis febris, ad talem perducẽtes. Aut causi maligni, ab inflãmatione interna, vel erysipelate, cum debilitate facultatis hepaticæ. Malæ igitur sunt tales deiectiones, non solùm magnitudine causæ, & perenni generatione, verùm etiam exitu & retẽtione. Exitu quidem, quia eo augent incendium, non extingunt, anxietatem cum fastidio pariunt, & sedem ac intestina exulcerant. Retẽtione verò, dolores acerbissimos creant, vehementes æstus, cordis morsus, vellicato orificio ventriculi, palpitationem cordis, inflammato & æstuante corde. Deiectio itaque biliosa, cùm neque desinit, & in synceram & spumosam mutatur, morbum exacerbat, auctíque incendij indicium est. Quòd si in morbi declinatione aduenerit, expurgat corpus, & critica est.

De prog.

De prog. variarum deiectionum.

Cap. XXX.

Deiectiones variæ dicuntur multis modis, quatenus multis cõsiderantur rationibus. In ſubſtantia quidem modò craſſæ, modò tenues & liquidæ: in quantitate continua vel diſcreta, dicuntur modò multæ, modò paucæ, modò rarò, modò crebrò deiectæ In qualitate, cùm modò nigræ, modò albæ, modò virides, modò citrinæ, aut alterius coloris, modò fœtidæ, modò ſine fœtore, modò fœtidiſſimæ excernuntur. Variæ etiam ſunt deiectiones ratione rerũ quæ immiſcentur: vt nunc ſpumoſæ, nunc ſine ſpuma; nunc cum pinguedine, nunc ſine ea; nunc ramentoſa, modò ſine ramentis inueniuntur. Ex quibus variæ prænotiones colliguntur, provt à variis affectibus & partibus affectis manant. Quantum ad varietatem colorum in deiectionibus (de quibus hîc præcipuè eſt ſermo) ſi in principio morbi appareat, & in diebus non criticis, irregularis eſt, & in malam partem accipitur. Quòd ſi cum robore virium iungatur, quia ſic minuitur materia peccans, bona erit vt cauſa, mala vt ſignum. Quod etiam dicitur de omnibus excrementorum deiectionibus, per aph. 47. lib. 4. Præterea hæc varietas, quia copia diuerſorum

uerſorum humorum fit longitudinis morbi indicium eſt: niſi à catholicone medicamento, talis excernatur: à ſimplici enim & vni humori ſolùm deſtinato non laudatur. Quòd ſi ſucceſſiuè fiat eiuſdem varietatis deiectio, vt vnus malus humor poſt alium euacuetur, cum facili ægri tolerantia, ſalutaris eſt. Melius enim eſt ſeorſim diuerſas materias educi, quàm ſi ſimul omnes vacuarentur.

De progn. deiectionum fœtidarum & non fœtidarum.

CAP. XXXI.

QVemadmodum graueolentia excedens damnatur non ſolùm in deiectionibus, verùm etiam in omnibus excrementis, *ita fœtoris* omnis abſentia. Nam in præſagiis, non tantùm ſpectamus quid contra naturam ægri accidat, ſed etiam quid contra naturam morbi. Eſt igitur graueolentia excedens ingentis putredinis ſoboles, quam incendium partium internarum, lethali cauſa peperit, & excrementorum diuturnior mora. Sic excrementa, quæ tum propter putredinem, tum propter ciborum varietatem atque moram fœtere debent grauiùs, ſi omnis fœtoris ſint expertia, caloris natiui extinctionis, & febris langueſcentis eſt ſignum certiſſimum: febris

febris enim vnà cũ vita extinguitur. Sicut enim dulcedo in ſordibus aurium damnatur & lethalis æſtimatur ab Hipp. ita fœtor excrementorum grauior, in minùs grauem tranſiens, citra rationem.

De prog. deiectionum ſpumantium.

CAP. XXXII.

SPumantes deiectiones eò ſunt deteriores, quò cum deterioribus coloribus coniuguntur. Copulantur enim ferè cum omnibus: nam cùm excrementa ſpumantia fiant vel ab agitatione, vel à permixtione flatus, vel à feruore & calore igneo, certum eſt quæ ab hac poſtrema cauſa deiectiones ſpumant in malis rebus ſemper habendas eſſe; præſertim ſi meracæ fuerint, aut valde bilioſæ. Tales ſiquidem deiectiones teſtes ſunt febris colliquãtis, quę in tabem perducat, aut peſtilẽtis & cauſi maligni, ab inflammatione interna; aut denique eriſipelatis, cum infirmitate non exigua facultatis hepaticæ.

De prog. deiectionum flatulentarum.

CAP. XXXIII.

QVamuis flatus & ſpiritus pro vno eodem paſſim vſurpentur in doctrina Hipp. diſtingui-

ſtinguntur tamen, vt ſpiritus ſit ſanguinis purior pars, aut calor qui ſuas ſedes habet in humido tenui. Pars inquam eius particulæ cui hæret, aliud ab ipſa ſpecie, quantitate vnum, corporis & animæ copula, autor naturalis conſtitutionis, operum animæ inſtrumentum, qui habet ſuos affectus præter naturam, reſolutionẽ nempe, extinctionem, alterationem, corruptionem, ablationem, caliginem, agitationem, torporem, ſtipationem, &c. Flatus verò eſt humor attenuatus à paruo calore, quem diſcutere non poteſt: qui calor paruus dicitur, vel per ſe, vt cùm corrumpitur à contrario ſpecie, vt à frigore, vel à ſimili; ſed in exceſſu, vt calore febrili: vel comparatè quatenus opprimitur, vel ab alimento, aut à craſſis, frigidis, & aquoſis humoribus. Ex quibus colligimus flatus generari tribus modis, à flatulento alimento nempe, à craſſis, frigidis & aquoſis humoribus, & ab intemperie frigida; quæ vel adhuc fit, & reſtitui poteſt, vel facta eſt, hecticáque dicitur Gal. qualis eſt in hydrope ſicco, qui ſuccedit morbo acuto, per reſolutionem caloris inſiti, à febrili, & conſumptionem humidi primigenij. Calor igitur naturalis in alimento, quaſi aliud agens flatus excitat. Calor igneus & febrilis, in materia craſſa & aquoſa, idem facit. Calor autem qui ſpirituum inopia, aut qualitate frigida paucus eſt, ſiue ſit cum febre, ſiue ſine febre, ex omni humido in quod agere

agere poteſt, flatus commouet. His ſuppoſitis, ita de flatibus pronũciabimus, vt eorum libera & liberalis excluſio, oſtẽdat vegetum calorem, materiam obſequioſam, & meatus liberos. Retentio verò praua ſit, vt cauſa & vt ſignum. Vt cauſa quidem, quia dum natura fruſtra nititur flatus ad infernas partes propellere & foras eiicere, excrementa & flatus contrario motu, ab infernis ſurſum ferũtur, vnde cephalalgias, vertigines, ſpirandi difficultates, ab oppreſſo diaphragmate, ſequuntur. Parit quoque eadem retentio alia mala in ventre, qualia ſunt, dolor, à tenſione & intemperie, tormina ab acri humore cum flatulento ſpiritu coniuncto & intercluſo, dolores circa vmbilicum, propter cœcum & colon neruaceáque corpora quibus colon & renes inter ſe, & renes lumbis alligantur. Vt ſignum verò praua eſt flatuum retentio, quia per eandem ſtipatio meatuum, materia indomita & flatuoſa, ac imbecillitas excretricis ſignificatur. Aut, quod lethale eſt, reſoluti caloris natiui in inteſtinis & meſenterio, eſt ſignum. Et ab hac cauſa incidunt ægri in tympaniam hydropem, & moriuntur, per aph. 11. lib. 4. At ſi ab humore tantùm oriatur flatus, aut à refrigeratione non fixa & confirmata, aut ab obſtructione meatuum, liberantur ægri enemate, purgatione, fotu, balneo, & ſimilibus.

De prog.

De progn. deiectionum coactarum & inuoluntariarum.

Cap. XXXIIII.

QVæ de deiectionibus hactenus dicta sunt, ad substantiam earundem, quantitatem, & qualitatem referuntur. Quæ verò de inuoluntariis coactis & cum crepitatione excretis hic dicuntur; ad modum deiiciendi spectant. Deiicit ergo aluus inuoluntariè multis de caussis. Vna est resolutio & infirmitas musculorum sphinterem claudentium: vitiat enim talis resolutio non expulsionem,sed retentionem. Altera læsio est sensus communis & mentis, qua vis sentiens,quæ per neruos ferebatur,aufertur. Tertia est excrementi tenuitas sine morsu:facilè enim labitur, quia non sentitur. Quarta est excrementi,cogentis naturam ad exclusionem, acrimonia. Et quoad prog. prima & secunda deiectio sine voluntate, malæ semper sunt in morbis acutis; & maximè si ab extincta sentiendi facultate fiant. Tertia verò & quarta per se nihil mali portendunt,nisi cum aliis prauis signis coniungantur.Coactæ autem dicuntur alui deiectiones, aut quia ficciores sunt & duræ, de quibus ante scripsimus; aut quia pituitosæ & glutinosæ, de quibus etiam capite de tenesmo.

Quæ

Quæ si putredine acriores & calidiores euaserint, intestina abradunt, & dolorem inferunt; malis ægri rebus.

De progn. quæ sumuntur ab vrinis.

CAP. XXXV.

VRina, quæ secundæ coctionis excrementum dicitur, sanguinis vehiculum est, vi renum secretum. Estque non solùm coctionis quæ in hepate conficitur testis fidelissimus, sed etiam omnium partiũ per quas fertur, affectus repræsentat. In vrina igitur (vt per eam de morborum exitu iudicium feramus) considerare debemus non solùm colorem, sed etiam substantiam, quantitatem, qualitates alias, contenta, & excernẽdi modum; de quo actum est capite de læsa actione vrinationis. Quoad eius substantiã, ea varia esse dicitur, pro vt variæ res cum vrina miscentur, vel non miscentur, dum à natura coquitur, vel cruda remanet. De quibus vrinæ significationibus secundùm nostrum institutum fusiùs agemus, si priùs vrinæ optimæ ægrorum speciem ob oculos proposuerimus cũ Hipp. 2. prog. Optima, inquit, vrina esse censetur, cuius est alba hypostasis, leuis & æqualis, & vt caloris natiui robur & humoris benignitas significetur, atque tota morbi historia talis perseuerans. Nam vt cocta optimè dicatur vri-

na,debet primò ab eo humore ſecerni,qui morbum facit. Secundò cocta apparere debet, non celeriter ac diebus prænuntiis. Nam cùm natura per gradus agat, certis temporibus moueat, diebus criticis quod coctum eſt aut proferat,aut excernat,optimè damnatur ab Hipp.vrina,quæ repentè,præter rationem & parum coquitur.Sicut illa quæ ex perniciosiſſima in meliorem ſubitò mutatur : vt copioſiùs capite ſequenti explicabitur.

De progn. ab vrinis modò coctis modò crudis.

Cap. XXXVI.

COctionem excrementorum cuiuſcunque morbi, celeritatem & ſecuritatem iudicij prænunciare & metum recidiuæ auferre, aſſeuerat Hipp.primo epidim. Quod de vera, continua &propria,ac totius materię morbificę coctione eſt accipiendum. Nam falſa & ſimulata coctio, ſpeciem veræ ſæpe repræſentat, medicúmque decipit, vt crudus ſuccus in vrina ſubſidens vero ſedimento haud abſimilis. Interturbatur autem & corrumpitur coctionis ordo, vel cùm natura ſuperatur:aut non æquè agit in omnes partes humoris, exiſtente ſcilicet materia contumaci & inæquali.Hinc aduenit,vt hodie appareant, cras deliteſcant coctionis ſigna,

&vrinæ

& vrinæ interdum moderatè craſſæ, mox tenues & crudæ funduntur. Cùm itaque ordinatus ſit & compoſitus naturæ vincentis progreſſus, non repentinus, non interruptus, aut interciſus occurſu noui mali. Hinc fit vt in omni morbo damnanda ſit vrina quæ citò & pauliſper cocta apparet, deinde ceſſans, quæ ſcilicet modò cocta modò cruda videtur. Ex quo etiam colligimus ſemel conſpecta vrina, ſiue praua, ſiue bona, non eſſe ſtatim de periculo aut ſalute, aut de alio morbi euentu pronuntiandum. Eſſéque obſeruandas vrinas non ſolùm manè, ſed etiam veſperi: quod Hippocr. feciſſe aſſerit Iacotius.

De progn. ab vrinis craſſis & perturbatis.

Cap. XXXVII.

VRinarum duplex eſt in morbis conſideratio: vel quatenus peculiariter, renum, veſicæ & vreterum ac meatus vrinarij affectus oſtendunt: vel quatenus ad acutos morbos totius pertinent; & maximè ad febres acutas. In quibus præcipuum cognitionis momentum ex vrinis pendere, ait Gal. ad ſent. 10. ſect. 1. lib. 6. epid. Craſſarum igitur & ſubiugalium vrinarum duplex eſt differentia. Vna eſt moderatè craſſa, quæ non ſubſidet, quæ cruditatem ſignificat,

humoris crudi & crassi permixtionem, secretionis absentiam, caloris natiui humorem crassum agitantis, nec superantis, pugnam. Quæ vrinæ cum virium robore morbi longitudinem denuntiant; cum imbecillitate, mortem. Altera est crassissima & maximè confusa, quæ imbecillitatem caloris natiui indicat, ignei & febrilis dominatum, materię crudę cum bile agitationem. Atquę inde flatulentos spiritus, quibus humores cum suo sero in venis turgent, & quasi fermentantur vt mustum in doliis. Quod signum certissimum esse volunt phrenitidis, aut conuulsionis, aut mortis, & morbi pestilentis. Vrinæ autem turbatæ appellantur, in quibus quod coctum videtur, & crassum ęst, vnà cum humore permiscetur. Eo modo, vt ait Hipp. quo si quis vrinam totam agitando hypostasim turbauerit. Talis vrina triplex statuitur à Galeno. Quædam minguntur vrinæ lucidæ, quæ postea turbantur, & indicant primum coctionis rudimentum impendere. Quædam contra turbatæ minguntur, quæ postea euadunt limpidæ, quæ omnium optimę iudicantur; significant enim naturæ victoriam, & tantillum flatuosi spiritus adhuc superesse. Quædam turbatæ minguntur & turbatæ remanent, quæ omnium sunt deterrimæ: significant enim naturæ & morbi pugnam, ac ebullitionem humoris: vnde varij effectus sequuntur, provt ad varia capitis loca vapor à febre

febre manans peruenerit. Si enim mentis aciem occupet: hinc delirium: si biliosa acrimonia neruorum principium vellicet, hinc conuulsio. Et si talis motus cum viriũ debilitate coniũctus est, hinc mors. Tunc enim maior est cruditas quàm à calore natiuo vinci possit.

De prog. ab vrinis tenuibus.

Cap. XXXVIII.

VRinas attenuari in morbis tribus potissimùm modis, obseruatur apud Hipp. multis in locis. Vnus est ab imbecillitate facultatis concoctricis: vnde sequuntur aliquando symptomaticæ, redundantis serosi excrementi, excretiones: quę vrinę nihil iudicatorij, nihílque commodi habent. Alter est cùm vrinæ subitò attenuantur, humorum symptomatica translatione ad caput, aut aliam partem phlegmone obsessam. Hinc eminẽte phrenitide vrinas attenuari & expallescere videmus, signo perniciosissimo. Tertius modus est cùm ex paucis & crassis, tenues & copiosę profluunt, natura per renes totius corporis superflua repurgante. Qui modus optimus & criticus ęstimatur. tunc enim cùm maior pars cachochinię vacuata fuerit, & reliqua cocta, non est mirum si bonis ęgri rebus vrinę prioribus tenuiores multo effluunt & co-

pioſiores. Quod ſi ſine vllo caloris augmento, craſſis vrinis tenues ſuccedant, multiplicis cruditatis potiùs ſignum eſt, quàm naturę vincentis. Febris enim craſſam materiam attenuans, atque ad coctionem pręparans, & ad ęqualitatem reducens, facit vt vrina paulò tenuior in bonis ſit.

Omnis vrina aquea, quia procul abeſt à coctione, in malis ſemper habetur. Ea autem peſſima eſt quę exquiſitè aquoſa eſt, à mortificatione alteraticis & retentricis facultatis. Symptoma enim eſt deſperatę ſalutis, preſertim in morbis acutis: & venoſi generis affectus ſimilis exquiſitę cruditatis, & lienterię in ventriculo. Ea verò quę quamuis aquoſa ſit & tenuis, habet tamen aliquid tenuis bilis miſtum, cùm principium quoddam coctionis ſignificet, non eſt ita mala. Talis tamen vrina tenuis & aquoſa, in pueris, deterrima iudicatur ab Hipp. in prog. quorum naturę maximè eſt aduerſa. Cùm enim habeāt pueri plurimùm caloris innati, alimentúmque concoquent, non ſolùm quantum ſatis eſt corpori nutriendo, ſed etiam membrorum incremento: vrinam habere debent craſſiorem & copioſiorem. Pręterea vrina tenuis & cruda iamdiu talis reddita, cum aliis bonis ſignis, morbum per abſceſſum finiturum, in partibus quę ſub ſepto tranſuerſo ſunt, ſignificat. Sic vrina quādiu fulua fuerit & tenuis, morb⁹ crudus erit.

De prog.

De prog. ab vrinæ copia.

CAP. XXXIX.

VRinę quantitas vel continua eſt vel diſcreta. In illa redditur multa aut pauca in vna mictione. In hac vel ſępè & pauca, vel ſępè & multa, vel rarò & pauca, vel rarò & multa meitur; in quarũ vtraque craſſities aut tenuitas coniungitur. Copia itaque vrinę cũ craſſitie copulata, ſępè Hippocra. critica eſt, & pręcipuè in morbis longis. Quamuis interdũ nihil cõmodi, nihil iudicatorij habeat, ex tertio epid. Quoniã multitudo omnium excrementorum, interdum ſymptoma eſt redundantię humorum prauorum, quam natura partium continentium ferre non poteſt, vt videre eſt in ſudoribus & vrinis à copia ſeroſę ſubſtantię. Nonunquam critica eſt, natura excernente quæ moleſta ſunt, cum facili tolerantia ęgri. Vnde fit vt in ſolutione morbi pituitoſi ſępe vrinę repentè & multę affatim prodeant. Cùm ſcilicet naturę non impeditæ vis ordinato motu & valido progreditur, euictamque paulatim materiam ſimul & cum impetu tandem excernit. Sic vrinarum copia laudatur ab Hippocrate, ſi modò colore, ſubſtãtia, & cõtentis laudabilibus prodeat. Talis enim expurgat iecoris partes conuexas. Atque omnes quotquot ſunt in his ſuperiores. Interdum etiam pulmonis abſceſſu.

De prog. ab vrinæ paucitate.

Cap. XL.

HAbet vrinæ paucitas apud Auicennam multas cauſas, potus nempe paucitatem, reſolutionis multitudinem, alui fluxus. Minuit enim alui fluxus vrinas, ſicut vrinæ multæ alui fluxum. per aph. 83. lib. 4 qui eſt vltimus. Habet etiam debilitatem renum in attrahendo, aut hepatis in diſcernendo, & emittẽdo aquoſitatem, vt in hydrope. In cuius omnibus ſpeciebus coniungitur vrinæ paucitas: non cum ſimili malo: nam in aſcite ſemper minuitur vrina, quòd ſerum in abdomen tranſeat: in anaſarca paulò minùs, ſero ad membra cum ſanguine pituitoſo abeunte, minore malo. At in tympanite, in quo, quamuis non bona vrina eſſe ſoleat, tamen copioſior eſſe debet. Et ſi vrina vel minuatur vel ſupprimatur, grauẽ affectũ eſſe oportet, per quem, quæ propinqua ſunt & ſocietatę coniuncta, in mali doloríſque conſenſum veniunt. Damnatur quoque pauca vrina, cum pauco ſedimento, in morbis humoralibus: quod craſſa intus cohibita nec tranſcolata, propter obſtructionem renum aut hepatis, aut propter craſſitiem: tũc enim & craſſitie & multitudine morbum auget. Interdum talis vrina cruditatem &

ali-

alimenti defectum in partibus solidis denunciat. Pauca denique redditur vrina in stranguria, siue à proprio vesicę affectu fiat, siue per abscessum stranguriosum ab Hipp. sic appellatum, in historia ægri primi lib. 3. epid.

De prog. vrinarum rubrarum.

Cap. XLI.

AD vrinas pertinet, in humoralibus morbis prę́sentem materiæ dispositionem, naturæ victoriam aut expugnationem, partium, hepatis nempe, renum & vesicæ affectus demonstrare, vt alibi diximus. Prætereà vasorum sanguinem continentium & virtutis humores generantis tum robur tum imbecillitatem ob oculos proponere. Vt igitur de illis rectè & veraciter pronuntiare queamus per vrinas rubras, scire debemus earum esse tres gradus obseruandos in morbis. Primus est vrinæ subrubræ, quæ laudatur tanquam salutaris, solius morbi diuturnitatis index. Secundus gradus est prærubræ vrinæ, quæ videlicet intensè rubra est, qualis est multa bile saturata: & hæc cruda est, & omni coctione destituta: habétque tantùm periculi, quantùm prima securitatis, & eò securior est, quò cum hypostasi alba & leui fuerit coniuncta: si verò cum subrubra, talis sit copulata

ypostasis, critica excretio expectanda est, modò naturæ contentio fortis fuerit. Tertius gradus est vrinæ cruente, qualis in nephriticis multis excernitur, à labore, vehementi motu, vt affecto iecore, ab imbecillitate renum, vt in senibus, à dilatatione meatuũ per quos ex vena caua vrina in renes percolatur. Et quoad prognosim, si vrina referat proluuiem prærubram carnium quæ assando liquantur, mortem in propinquo esse significat: si verò prærubra fuerit & multa bile saturata, aut rutila ab inflammatione serosi humoris, signum est non longi, sed breuis & funesti morbi. Si denique vrina subrubra sit, à liquore seroso sanguinis, longioris morbi signum est, non funesti. Ratio est, quia sanguis omnium humorum mitissimus, facilè vincitur & mitificatur. Non tamen tam citò, quia humiditas eius nimia coctioni resistit.

De prog. ex variis vrinæ coloribus.

Cap. XLI.

PRopterea quòd vrina miscetur cum humoribus (est enim, vt alibi diximus, sanguinis vehiculum, aliud à sanguinis sero) ab iisdem colorem accipere, & eorundem idem repræsentare æstimatur, siue crudi, siue cocti fuerint humores.

mores. Variè igitur coloratur, pro varietate colorum qui in humoribus esse solent, quorum laudabilis esse putatur Gal.lib.1.de crisibus cap. 11. subruffus; à quo quò reliqui omnes longiùs recesserint, eò peiores iudicat. Ab eo ergo rufo colore, quia niger distat longissimè, ideò nigræ vrinæ omnium pessimæ sunt æstimandæ: quod tamen sine distinctione non est concludēdum. Nam cùm duobus modis nigrescant vrinæ, vno per admixtionem humoris nigri & melancholici, aut sanguinis crassi & atri, vt in quartanariis, lienosis, morbis longis, nephritide, suppressis mensibus, ictero nigro; altero per adustionem ab incendio febrili, aut à mortificatione caloris insiti partium: manifestum est, priori modo vrinas minori periculo nigras ferri, & sæpe esse salutares, præsertim si ad tenues & albas sequantur, copiosè, liberè, & liberaliter fluant, ac cum alleuatione ægri: vrinas autem posteriore modo redditas, esse planè lethales, & potissimùm si tam substantia quàm contentis nigræ fuerint. Quibus tamen peiores sunt, quæ cum nigredine tenuitatem habent, vehementiorem inflammationem internam, testantes. Gal.lib.de vrinis scribit se vidisse multos, quibus solo sedimento vrinæ nigræ meiebantur, euasisse: quibus verò tam substantia quàm sedimento reddebantur tales, neminem. Funestæ sunt ergo tales vrinæ ex quibus tria lethalia signa colliguntur; humo-

ris

ris nempe malignitas, caloris ignei vis & vehemens impressio, atque venosi generis infirmitas summa. Non tam longè distant à laudabilibus vrinis, illæ quæ herbaceæ & virescentes dicuntur. Quæ tamen si in febribus acutis appareant toto liquore virides, magnum mortis periculum significant: fit enim talis vrina ex flaua bile, maiori incendio in venis maioribus & hepate. Quòd si non in toto liquore, sed in superficie tantùm, appareat herbaceus ille color, minus periculum portendit: significant enim tales vrinæ febrem, quæ quamuis acuta sit, non tantam tamen vim habere, quæ possit totam vrinam immutare: vnde non omittitur omninò spes coctionis.

A colore subruffo & laudabili vrinæ, distat etiam oleosa: quæ tamen (vt concludunt nonnulli Hippocratis interpretes) si toto liquore talis est, non adimit spem secundæ criseos, modò cætera omnia consentiant; quia (vt aiunt) à febris cachoetia & malignitate non pēdet. Quòd si oleosa in superficie tantùm appareat, malitia febris inde concluditur. Vtrùm autem huiusmodi vrinæ à renibus affectis duntaxat, vel à pinguedine totius corporis, calore igneo semper dominante, prodeant, ita distinguit Gal. comment. in aph. 35. lib. 7. in renibus, inquit, celeriter fit & vniuersim excretio, propter minus interuallum: in pinguedine totius corporis, non celeriter,

celeriter, ſed tardè & paulatim; pingui ſcilicet liquato per longos venarum anfractus, tandem ad renes perueniente. De vtriuſque prognoſi ſuo loco egimus, & hæc de variis coloribus vrinarum quæ grauiores affectus demonſtrant, quæque ad prognoſim plurimùm conferunt, ſufficiant.

De prog. ab vrinarum hypoſtaſi.

Cap. XLII.

HYpoſtaſis, cuius nomen in omni doctrina Hippocratis ad vrinam tantùm pertinet nihil aliud eſt quàm illa portio ſucci alibilis quæ in ſanguinis confectione virtutem naturæ effugit, in vrina reſidens: cuius plures ſunt ſpecies; quarum illa præſtantiſſima, & cæterarum tanquam regula eſt, in cuius colore, loco & ſitu, perſpicitur materiæ bonitas, partium ſolidarum integritas, & vis natiui caloris, ſeſe in omnes materiæ ſegregatæ partes æqualiter inſinuantis. Talis hypoſtaſis Hippocrati eſt alba, leuis, & æqualis: Albedo enim partium ſpermaticarum à quibus manat integritatem, & materiæ benignitatem ſignificat: æqualitas & leuitas, naturam nihil intactum relinquere oſtendit. Debet autem eſſe tale ſedimentum non interruptum, ſed

ſed perſeuerans, vt vera non falſa coctio demonſtretur. Quæ enim coctio interrumpitur, aut naturam exolui, calorémque natiuum extingui, aut materiam contumacem eſſe & inæqualem denuntiat, cuius pars quædam coquitur, alia manet incocta: vnde aph. in coacis animaduerſionibus. *Vrina bonum ſedimentum habens, & derepentè non habens, laborem mutationémque ſignificat.*

Sæpiùs quidem hoc expertum eſt, vt quæ initio ſedimenta apparebant, in ſequentibus diebus deſinere: vnde aut longitudo morbi, aut anceps iudicium colligebatur. Vbi enim varia materia eſt, & inde multiplex morbus, varia naturæ cõcertatio, & anceps pugna eſſe ſolet. Et quemadmodum leuitas, æqualitas, albedo, ſunt notæ laudabilis hypoſtaſis; ſic & nigredo, aſperitas, diſſipatio & concretio, ſunt ſiniſtræ & prauæ ſignificationes. Referunt enim hæ notæ violentiam caloris febrilis, morſici ſucci corruptionẽ, atque naturæ imbecillitatem. De variis generibus hypoſtaſis conſulendus eſt Rondeletius, in libello de vrinis.

De prog. ſumptis à ſudore.

Cap. XLIII.

SVdor (cuius materia facit in venis febrem, in habitu phymata) eſt excluſio humoris tenuis

& ſuper

& superuacanei intus foras per meatus cutaneos, cuius expulsio vel expressione fit, vel excretione, vel exolutione partium solidarum. Qui tres modi à diuersis causis fiunt, vt post hac docebitur. Gal. libr. 10. de facultatibus simplicium medicamentorum testatur eandem esse materiam sudoris & vrinæ, hincque fieri vt cùm futura iam est crisis per sudores fiat vrinæ interceptio, eundémque generationis modum. Materia autem sudoris triplex est; vna tenuior portio alimenti humidi; altera serum humorum; tertia colliquatio seu resolutio solidarum partium. Fiunt sudores vel in sanis, vel in ægris: in sanis quidem, alimenti copiam, pòtum largiorem, plenitudinem corporis, raritatem cutis, iecoris ac lienis copiosum calorem & humorem denuntiant. Quod enim in corpore incaluit, & biliosæ substantiæ aliquid accepit, magísque elaboratum est quàm vrina, vt ad cutem in aquæ speciem per omnes partes trãsmissum possit peruenire, id sudor est. De quo sudore extat aph. *Sudor multus per somnum factus copiosiori cibo corpus vti significat.* In ægris qui sudor fieri consueuit, vel periodicus est, vel symptomaticus, vel criticus. Periodicus, in sola febre intermittente simplici, aut coniuncta continuæ, vt sunt semitertianæ; si multus fuerit, naturam resoluit, aut copiam humorum, aut contumaciam indicat; si frigidus, materiam frigidam & morbi

diutur

diuturnitatem; ſi calidus, calidam & mitiorem oſtendit, per aph.42.libr.4. *Sudor multus frigidus calidúſve ſemper fluens, frigidus grauiorem, calidus minorem morbum ſignificat.*

Criticus ſudor in febre continua, his notis cognoſcitur: ſi incidat antegreſſis coctionis ſignis, ſi die critico & vigente natura, ſi toto corpore diffluat, ſi ita moderatus ſit, vt vires non exoluat; denique ſi inde febres & omnia ſymptomata acquieſcāt: quæ nota eſt certiſſima omnium ſudorū vtiliū; cuius futuri hæc ſunt ſigna & indicia, ad prognoſim, obſeruāda, nempe vrinę ſuppreſſio, alui omnimoda cohibitio, deliriū increſcente acceſſione, calor diffuſus in ſuperficiem, atque inde corporis rubedo antea non cognita, vapor calidus diffluens in cutem, pulſus mollis, magnus, vndoſus, febris acuta, motus rigoris, atque omnium aliarum excretionum ſignorum propriorum omnimoda priuatio.

Symptomaticus ſudor, vi morbi non naturæ factus, duplex eſt; vnus motu morbi fruſtra tentata criſi: alter à reſolutione partium ſolidarum, cum raritate cutis & virium imbecillitate. Qui tamen non ita copioſus eſſe ſolet. Vtérque interdum lethalis eſt: interdum difficilis & cachoëtes. Lethalis quidē, ſi ſymptomata augeātur, ſi fiat metaſtaſis in caput aut in alias partes nobiles, ſi ſudor frigidus ſit, & morbus acutus fuerit. Cachoëtes verò & difficilis, ac diuturni morbi

morbi ſignum,ſi tenuior humoris peccãtis portio excludatur , craſſa & glutinoſa remanente, cum robore facultatis. De vtroque extant aph. 37. & 56. lib. 4. Tales eſſe ſolent ſudores qui febres non finiunt,qui cum prauis ſignis, mortem,cum mitioribus morbi longitudinẽ oſtendunt. Et hæc de ſudoribus in genere : quibus ſi addamus quos morbos ſoleant ſudores iudicare & quibus contingere, multum erit ad prognoſticum vtile. Familiares igitur ſunt omnibus febribus , præſertim ardentibus. Iudicant etiam quotidianas, ſi multi à toto corpore moueantur : modò pituita cerebri & ventriculi vacuetur cum vomitionibus , & deiectionibus pituitoſis : quartanas, ſi atra ſimul & varia expellantur : ſemitertianas , ſi biliosa ſimul & pituitoſa deiiciãtur. Finiunt pariter ſudores multùm feruentes, phlegmonas partium internarum:modò multi,calidi, e toto corpore,& præcipuè à parte laborante, die critico oborti , reſpondentes morbo, antegreſſis ſignis coctionis, manauerint. Hoc tandem de criſi in vniuerſum addere lubet, vt quamuis ſemper reſpondere debeat ſpeciei morbi , fit tamen ſæpe vt eadem morbi idea diuerſis excretionibus iudicetur. Exempli gratia febris ardens, tum hæmorrhagia tum ſudore, poſt vehemẽtem rigorem, tum vomitu & bilioſa deiectione finiatur ; tertiana vomitibus, deiectionibus bilioſis, & ſudoribus

T

iudicetur; phrenitis ſudoribus bonis, maximè, ſi è capite multus & calidus profluxerit, vniuerſo reliquo corpore ſudante, aliquando hæmorrhagia narium. Inflammationes omnes calidæ & acutæ, tũ hæmorrhagia iudicantur, tum ſudore multo: ſin minùs, aut interficiunt, aut ad ſuppurationem veniunt.

De prog. ſudoris multi & pauci.

Cap. XLIIII.

SVdoris multitudinem vel paucitatem metimur, ratione quantitatis continuæ vel diſcretæ. In continua quantitate multus ſudor vna vice prodit, in diſcreta, multus quoque pluribus, ſicut paucus vicibus ſingulis emanat. Vtroque ergo modo ſudoris multitudo contingit, quorum primus quoties febrem non ſoluit, valde perniciosſus eſt: vires enim celeriter proſternit, & mortem imminentem denuntiat, ſi febris ſit acuta. Secundus modus in quo ſudor multus quantitate diſcreta tantum effunditur, morbi longitudinem portendit, non tamẽ mortem. Niſi ſimul cum ipſo aliquod ſymptoma lethale ſuperuenerit. Interdum enim ſudor frequenter & paulatim effluens, iuuat, quamuis febrem perfectè non iudicet. Nam ex his quæ non iudicant, alia lethalia ſunt, quæ ſymptoma-

tis

tis augent ægrum, alia difficilis indicij, quæ neque augent, neque minuunt. Tertius modus ſudoris, in quo multus eſt vtraque quantitate, nocuus æſtimatur Hippocr. per aph. in coacis. *Sudores ſi paulatim fiant, iuuant: ſi affatim & ſubitò, nocent.* Feri enim non poteſt, vt vires diu poſſint ſudorem multum, id eſt affatim & aſſiduè effuſum ſuſtinere. Sudores pauci in morbis acutis, ſiue à toto corpore manent, ſiue circa caput & thoracem tantum ac collum appareant, omnes praui ſunt. Deteriores tamen qui fiunt in ſuperioribus partibus. Tales enim ſudores & exudationes inutiles denuntiant vel copiam in partibus ſudantibus, vel facultatis retentricis imbecillitatem. Gal. comment. in aph. 47. 2. prog. non ſolùm de ſudoribus, verùm etiam de omnibus excretionibus paucis, atque abſceſſibus, præceptum facit, his verbis: *Praua omnia eſſe, ſiue per nares, ſiue deorſum per ventrem, ſiue per vomitum, ſiue per ſudores, aut vterum, excernantur.* Paucitas enim oſtendit ea quæ excernuntur, vel ferri non poſſe ob copiam, & ob id à partibus affectis diffluere, vel moueri quidem à natura non tamen tota excerni propter eiuſdem imbecillitatem.

***

T 2

De prog. sudoris partium superiorum & pectoris.

CAP. XLV.

NOn est mirum si partes superiores & pectus tam facilè sudent: abundant enim serosis humiditatibus, & in his raritas est cutis & porositas multa. Accedit quod in facie musculi ita adhærent cuti, vt nihil inter carnem & cutem interpositum videatur. Hîc perquisitione dignum est, vnde calor & sudor in pectore, ventre & partibus superioribus magis vigeant, rigores verò per dorsum potiùs inuadant. Causa huius effectus petenda est à natura partiũ: licèt enim cor in medio thorace collocatum sit, non æquè tamen posteriora & anteriora calefacit, infringitur enim calor ipsius cordis retrò, non solùm propter crassitiem musculorum interpositorum, & ossium, verùm etiam propter frigiditatem spinalis medullæ, & vertebrarum. Additur quòd mucro cordis antrorsum vergit magis. Contingunt igitur sudores circa collum & clauiculas, suppuratis, pleuriticis, vt ait Hippo. híque multi, non quantitate continua, sed discreta: multi enim dicuntur, quamuis pauci, sed continui & breuibus interuallis redeuntes. Accidit autem illis talis sudor: quia cor anxium, & à multa materia oppressum, humiditatẽ & spiritus

tus ex agitat, & ad partes superiores spiritum vitiosum transmittit, malis ægri rebus. In moribundis, ait Gal. 6. epid. sect. 7. in comment. sudor frontis, colli, & partiũ pectoralium, facultatis animalis imbecillitatem, atque infirmitatem indicare plerumque videtur. Fiunt etiam sudores eiusmodi in febribus horrificis, sed pauci: quibus tamen contingunt magis in principio, cùm materia adhuc cruda est. In quo differunt à sudoribus suppuratorum: in quib. multi huius generis sudores fiunt; non solùm ab humiditatibus tenuioribus, sed etiam ab alimẽto abeunte, quod diductum discutitur, propter virium imbecillitatem, lethali signo.

De progn. sudorum modò incipientum modò desinentium.

Cap. XLVI.

HOc de omnibus excretionibus natura motis dicitur verè. In malis semper haberi, maximè in morbis acutis, si postquam fieri cœperint, protinus cessent: satius enim esset si natura nihil moliretur (modò non quiescat, quia extincta est, sed quia coctioni dat operã) quàm si malignitate materiæ irritata, excretionẽ frustra aggrediatur. Sudores itaque hoc modo facti, si die critico appareant, quia tunc multi esse

debent, viriũ magnam imbecillitatem arguunt: ſi verò ante coctionem à materia morbifica ſecernantur eò deteriores ſunt, quò longiùs abſunt à ſtatu morbi: eſt enim ſemper talis ſudoris profuſio, malignitatis morbi indicium certiſſimum, maximè ſi cum hypochondrij tenſione coniungatur, per aph. in coacis: *Quibus non intermittit febris, & frequens deſudatio, cum hypochondrij tentione, vt plurimùm malignus morbus eſt.* Vel ſaltem longitudinis, ſi vires ſufficiant, vbi notandum eſt nomine hypochondrij dextrum intelligere Hippocratem, propter excelientiam.


De progn. ſudoris frigidi.

Cap. XLVII.

De ſudoribus frigidis extat aphoriſmus 37. *lib. 4. Frigidi ſudores cum febre acuta mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem ſignificant.* Hîc ad prog. ſupponendum eſt frigidum eſſe in corporibus duplex: vnum per abſentiam caloris innati, quod priuatiuum vocãt, quale in externis corporis partibus ſentitur in his febribus in quibus interiora æſtuant. per aph. 48. 4. alterum præſentiam & copiam humoris frigidi, quod vocant poſitiuum frigus: in hoc enim qualitas & refrigeratio præſens eſt, calori contraria: in illo verò eſt caloris natiui & formæ priuatio quædam

quædã, siue resolutio, aut caloris absentia vtroque modo sudor frigidus dici potest, etiam in febre acuta. In qua tamen quærit Gal. commen. in prædictum aph. Quo modo sudores frigidi esse queant frigido positiuo. Respondet, non esse à ratione alienum humoribus putrescentibus in vasis, ardorem illic esse, atque interea calorem naturalem in partibus extingui & exolui eodem tempore, cum sudoribus frigidis, signo exitiali, siue per excretionem & expressionem frigore positiuo, siue per resolutionem fiãt. Illîc enim significatur naturam esse grauatam copia, quam neque regere, neque continere potest: hîc verò calorem innatum exolui & dissipari. Vbi autem frigidus sudor febre mitiore fit, modò vires valeant, posse hominem seruari pronuntiat Gal. concocta scilicet humorum multitudine, & à natura superata.

Finis libri quarti ad gloriam Dei.



PROGNOSEOS MEDICÆ, QVI EST DE IIS QVÆ SVMVNTVR

à qualitatibus mutatis,quas affectus ſpecialiter præter naturam Galenus appellat.

LIBER QUINTUS,

PRAEFATIO.



IHIL à medico de morbi exitu prædicturo , conſideratur circa ęgri corpus,quod nomine ſymptomatis non intelligatur ; cuius cùm ſint Gal. tres præcipuæ differentiæ , functionum nempe læſiones , excretorum & retentorum immoderationes , atque corporis affectus , de duabus primis ſatis abundè , ſecundùm noſtrum inſtitutum,egimus quatuor libris ſuperioribus.Supereſt vt de tertio in hoc quinto diſcurramus,cuius Gal.

Gal. omnium primus quinque ſtatuit ſpecies, provt ſingula vel viſu, vel auditu, vel guſtu, vel odoratu, vel tactu percipiuntur. Sed quia huius generis ſymptomatum, alia tantùm & primò ab ægro ſentiuntur, alia medicus ipſe ſine vlla relatione ægri conſiderat: de illis quia ad actiones læſas magis pertinent, eáſque certiùs demonſtrant, primo libro eſt actum. Sunt enim illa viſus diminutiones, cœcitates, deprauationes, ſurditates, auriũ tinnitus, dolores, ſapores, &c. Hæc verò ſunt calores præter naturam circa totum corpus vel circa aliquas eius partes tantùm, voces, ſtrepitus, voruorigmi, fœtores, durities, mollities, aſperitates, læuitates, &c. de quibus, ſecundùm conſuetam methodum eſt ſcribendum.

Quid de vario colore circa corpus ſit colligendum.

Cap. I.

BOnus & laudabilis eſt color cutis ex albo & nigro permixtus. Talis enim, ait Galenus optimum temperamentum demonſtrat: nam cum cutis ſit pars ſpermatica, ex probè confecto ſemine producta, exactè alba eſt, ſicut lac optimè coctum candet. Sanguis verò exactè coctus, nulla vitiatus cachochymia, ruborẽ floridum, ex hepatis commercio, repræſentat, qui ad

T 5

cutem accedens, alimenti gratia, pulchro rubore faciem ſuffundit. Ex quibus duobus optima proportione mixtis, naſcitur prædictus color: à qua integritate coloris, tãtùm abeſt cutis, quantùm à perfecta coctione deficit vtrunque principium. fiunt autem ægri decolores duobus modis; vel ſanguinis penuria, quos reficiendos vult Hipp. lib. 4. de acutis, calefaciẽtibus nempe, vel exercitatione, vini potione, cibis calidis, &c. Alij ſunt mali coloris homines, quibus corpus malè affectum eſt, aut quia in eorum partibus ſolidis eſt alimenti corruptio, aut quia ſanguis qui ad eas partes peruenit, eſt coinquinatus: habet enim ſanguinis vitiũ cauſas antecedentes, vt cordis, vel hepatis, vel lienis affectus quoſdam præter naturam; cor ſiquidem vt totius corporis moderatur calorẽ, ſic & toti impertitur colorem, ſplendorem, & viuidum quendam ſpiritu florem, vnde in affectibus cordis mutatur color. In affectibus quoque animi & cardiacis, fiunt viciſſitudines coloris & caloris, ab agitato ſpiritu & calore in ipſo. Hepatis etiã vitio fiunt ægri decolores; interdum colore plumbeo, aut magis fuſco: interdum pallore albicante; nonnunquam aliis quibuſdam ineffabilibus colorum proprietatibus, quæ, iecore ſuo munere non probè fungente, ſine tumoribus præter naturam, accidere ſolent. Sic propter lienis vitia tales colores fiunt, multò tamen nigriores, quàm

quàm qui ab hepate proueniunt. Sequitur pariter aliquando color cutis intemperiem musculorum, non reliquarum partium: nec ſemper color naturam ſucci dominantis indicat, præſertim cùm humores in profundum receſſerint.

De progn. à rubedine faciei.

Cap. II.

NVlla eſt in corpore humano particula, quę tam facilè colore rubro ſuffundatur, quã facies, & hoc quia rara & laxa eius cutis eſt, & quia ſic coaluit carni, vt ſeparari non poſſit; aut quia eo loco ſita eſt, quo ferè vapor & exhalatio totius corporis euadat, & vbi ſubſiſtat. Rubet autem facies ſine febre, aut cum ea; perpetuò, aut per interualla; cum puſtulis, & ſine puſtulis. Rubor perpetuus, feruidioris ſanguinis nota eſt, ex interuallo recurrens, ſolius vaporis eo ſublati, aut tenuioris humoris nondum impacti, eſt ſignum. Rubet igitur facies pulmone inflammato, & ex calido humore, multis vaporibus in caput elatis, qui replent cerebrum, atque interdum phrenitidem faciunt, ſemper verò faciei ruborem inuehunt. Rubere facies ſolet in omni difficultate ſpirandi, ſi vehementior ſit, eoque magis ſi vnà dolor capitis adſit cum multa caliditate. Si rubeant ambæ maxillæ, ſignum

gnum eſt inſignis inflammationis internæ, aut melancholiæ morbi, aut tranſlationis materiæ ad caput, vt cùm imminent parotides. Rubet facies & oculi, imminente profluuio ſanguinis per nares; quòd ſi non ſequatur, exiſtente morbo acuto, furor, & extinctio naturæ aliquando ſuccedunt. In morbis ergo acutis, rubedinem faciei non carere ſuſpicione aiunt: fieri enim non poteſt in morbo bene colorentur ægri ſecundùm naturam, quos morbus decolores faciat. Quare ſubeſſe aliquam cauſam præter naturam neceſſe eſt, quæ ægros bene coloratis ſimiles reddat. vnde Hipp. ſententia 14. 2. prorrh. ſcribit, faciei colorem bonum, & moeſtitiam multam malum eſſe. Et in coac. *Faciei color bonus cum tetrico aſpectu in acutis, malum.* Nam quoties ſine criſis expectatione, florida ac rubens facies apparuerit, in febre eſſentiali; idque præter peculiarem naturam ægri: ſi quidem æger valdè triſtis deprehendatur, cum tetrico vultu, & perturbato, quædam in cerebro valdè calida affectio ſuſpicatur, quæ ſanguinem exurit, & bilem atram generat: vnde certò phrenitidem, in acutis, & melancholiam, ac etiam maniam licet præſagire.

***

De prog.

De progn. rubedinis pectoris.

Cap. III.

CОntingunt rubores pectoris aliquando in morbis acutis & malignis pulmonum, in quibus nihil coctum expuitur , aut paucum, quamuis coctum , & quod paulatim vix excludatur. Quibus ſiquidem rubores in pectore, non in faſtigium collecti , ſed effuſi oboriantur, qualia ſunt eryſipelata iuxta fauces , ex tenui & acri ſanguine, horrenda res eſt & lethalis. Hoc enim morbo adhuc crudo , & circa principia & incrementa , criticè fieri non poteſt , nec notas habet ſalutaris abſceſſus.

De progn. rubedinis manuum & partium extimarum.

Cap. IIII.

RVbent & inflammantur manus & pedes aliquando febre , ſubſequente ſigno non lethali , nec admodum periculoſo : aliàs præcedente febre idque duobus modis : vel criticè, cùm ſcilicet longiſſimè à foco morbi abſceſſus fit,cum ſignis coctionis præcedentibus,ſigno ſalutari : vel ſymptomaticè,quod perniciosum eſt vt ſignum & vt cauſa ; vt ſignum, quia naturam omnino

omninò infirmam, aut copia materiæ tanquam ſtimulo concitatam, aut aliquod nobilium viſcerum grauiſſime affectum, ſignificat: vt cauſa, quia partes eiuſmodi totam materiam, aut excipere non valentes, aut exceptam coquere, ſunt cauſæ interdum ſyderationis partis, & ſymptomatum quæ ad effluxum humorum ad interiora conſequuntur: vnde aph. in coacis animaduerſionibus: *Rubores in manibus & pedibus lethales.* Quos deteriores nigroribus æſtimat Auicennas. Nam nigrore manuum & pedum, materiæ ſolùm decubitus, & ſpiritus vitalis interceptio, monſtratur. Rubor autem præter hæc germen habet in partibus nobilibus. Tales igitur rubores cum ſenſu ponderis contingentes, quia ſignificant calidiſſimi ſanguinis ſuffuſionem, atque facultatis animalis & vitalis extinctionem, quæ onus materiæ morbificæ & membri ampliùs ferre non poteſt, mortem in propinquo eſſe denuntiant.

De progn. coloris nigri & liudi quarumlibet partium.

CAP. V.

COlor omnis eò pernicioſior putatur, quò à naturali magis diſceſſerit: vnde Hipp. in prog. colorem totius faciei nigrum, & liuidum maximè

maximè damnat, tanquam omnium peſſimum, vt qui ſanguine refrigerato proueniat. Pallidum verò & plumbeum, initium quoddam eſſe nigritiei & liuoris, à frigiditate. Hinc venulæ in oculorum albis liuidæ & nigræ, quia extincto calore natiuo refrigerantur, in propinquo mortem denuntiant. Liuidum tamen colorem omninò lethalem eſſe ſine diſtinctione, nō eſt pronuntiandum: nam liuor interdum fit ſola interceptione ſpiritus vitalis, & caloris influentis, qui propter paucitatem & ad interiora receſſum, diffundi in membra non poteſt: vt in ſyncope, in febribus diuturnis, in quibuſdam acceſſionibus. Ex quo liuore ſeu pallore, potuis periculum, non propinquum exitium eſt præſagiendum. Liuor autem qui in acutis febribus contingit, ab eiuſdem caloris vitalis extinctione manat. Modus quo liuiditas contrahitur eſt duplex. Vnus, cùm calor igneus floridiorem ac ſpiritu lucidiorem ſanguinis partem exhaurit; terrenam concretámque exurit, & ſubtrahit humidium quod caloris inſiti ſubiectum eſt. Alter eſt cùm frigus tenuiorem ſanguinis partem exprimendo, inducit liuorem, & nigrorem, calorémque natiuum extinguit. Apparétque hic liuor præcipuè & primò in facie, palpebris, vnguibus, digitis & pedibus: tum quia à caloris fonte longo interuallo diſiunctæ ſunt partes: tum quia arteriæ & venæ multæ ibi finiuntur.

De

De quo liuore verificatur aph.in coac. *Liuida facta corpora in breui mortem denuntiant.*

De prog. viciſsitudinis caloris & coloris.

Cap. VI.

QVemadmodum in calore & frigore eſt viciſſitudo, ſic in colore eſſe ſolet: ſequitur enim vtrumque vel humoris motum, & naturæ vel victoriam, vel caſum. Quæ viciſſitudo ſiue in ſanis, ſiue in ægris fiat, cordis ſemper affectionum ſoboles eſt: cùm enim operatio cordis in corpore ſit, calorem totius moderari, ſimul & toti impartiri colorem, ſplendorem, & viuidum quendam ex ſpiritu florem, meritò in cordis affectibus illa mutantur, ſeu cordis opera. Sic color totius & calor augetur in febris generatione à ſanguine: vel immodicè remittuntur in rigoribus, retrahente corde à toto calorem. Similiter in animi per ſanitatem affectibus, vt in cardiacis alterato corde, frequens eſt caloris viciſſitudo. Ex qua quantum ad prognoſim attinet, in ægris cordis oppreſſionem & magnam ac frequentem variæ multipliciſque materiæ agitationem, colligimus, tantò deteriorem, quantò illa mutatio longiùs à natura diſceſſerit. Interdum etiam caloris natiui extinctionem. Quod ſi antegreſſis coctionis ſignis, & die critico contingat iſta caloris & coloris mutatio,

mutatio, vtilis erit. Et critica perturbatione accidiſſe, dicendum eſt. Sim minus, aut mortem, aut morbi diuturnitatem ſignificat. Hoc tandem de huiuſmodi coloribus in vniuerſum eſt pronuntiandum: nullum eſſe non naturalem, qualiſcunque ſit, qui cum virium langore non ſit funeſtus. Nullumque eſſe tam atrum & horridum, qui ſi vires validas habeat, aliquid ſalutis ſpei, non poſſit relinquere.

De prog. à coloribus linguæ.

Cap. VII.

Linguæ affectus ſunt in guſtu, motu, ſermone & colore. De tribus primis actum eſt libro primo. De poſtremo hoc loco agendum quatenùs ex colore linguæ, aliquid de exitu morborum acutorum poſſumus prædicere. Lingua enim, quia flaxida eſt, laxa & mollis, cum vaſorum amplitudine, manifeſtiora indicia præbet de humoribus, & de natura morborum, quàm vrina: eſt enim vincenti materiæ, aut coniunctæ concolor: quo fit vt medico, veniat crebrò ſpectanda. Nam non ſolùm pulmonum & ventriculi colorem, ſubſtantiam & exhalationem humorum refert, ſed etiam ſuccorum nutritioni dicatorum, & ſeruum humorum, ac vapores è venoſo gutture, ac toto corpore ſuſcipit,

& oculis repræſentat. Et hoc quidem per venas & arterias, illud verò per continuitatem tunicæ interioris, quam habet communem cum pulmone & ventriculo. Quibus duabus partibus malè affectis, promptiſſimè immutatur lingua. Colores autem quibus lingua intingitur, ſunt flauus, pallidus, æruginoſus, niger & ruber. Primus à bile ſero exuſto: ſecundus à bile ſero immixto: tertius à bile, ſero vehementer torrido: niger verò color, bilis nigræ & fuliginis, caloris febrilis ſanguinem exurentis, ſoboles eſt, & quoad prognoſticum. Quamuis nihil certi ſtatui poteſt de morbi exitu ex ſolo colore linguæ, iunctus tamen cum aliis ſignis, plurimum præbet certitudinis, præſertim in morbis acutis. In quibuſdam quidem febribus, nulla ſigna ex lingua eduntur, quia vel hæ ſunt leues, vel in venis quæ ad infernas corporis partes pertinent, aut non ita linguę conſentiunt, qualis eſt lien & vterus. Quantum autem ad colores linguæ in morbis, conſiderabiles maximè ſunt, liuidus, niger & ruber. Liuor ſemper damnatur ab Hipp. quia ſequitur ad ſolam calidi extinctionem. Ita vt ſi digito contingatur lingua liuida, frigida ſentitur, lethali ſigno. Niger, non ſemper: interdum enim ſequitur ad decumbentem humorem nigrum, interdum ad eleuatũ vaporem humidũ vſtum, vnde nigricant etiam dentes & ſputa, tuncque lingua

lingua humida eſt & nigra, ſine periculo. Sed nigredo linguæ quæ ſequitur in ardentiſſimo cauſone, aucto incēdio, poſt ſiccitatem, ariditatem, & ſcabritiem, vnde lingua cuti ſole exuſtæ ſimilis ſit, malignitatem febris oſtendit, & lethalis eſt. Ex linguæ etiam nigredine, celeritas & tarditas indicij definitur, quod vel principio, vel poſt principium nigreſcit: ita inualeſcens incendiū ſe prodit, & celerior morbi motus. Quò enim celeriùs mouetur morbus, eò celeriùs indicium expectandum. Rubra verò lingua, multis peripneumonicis, multis quoque maligna & lethali febre laborantibus apparet. In morbo ſiquidem vbi oportet nigricare linguam, ſi ea rubeat, admodum periculoſum eſt.

De progn. Icteri.

Cap. VIII.

HAbet icterus nomen à qualitate mutata, id eſt à calore, qui ad flauum aut ſubuiridem tendit, cuius cauſa proxima eſt bilis effuſio per cutis meatus exiguos. Apparétque primo in albo oculi, quæ pars eſt omnium albiſſima, deinde in cæteris detegitur. Cauſa effuſionis eiuſmodi duplex eſt: vna externa, qua coinquinatur ſanguis citra hepatis affectum inſignem, vt à veneno, à catharticis non purgantibus, ab intem-

peres iecoris,& venoſi generis calidiore: à qui-bus cauſis icterus ſine febre eſt, & raró contingit. Altera interna, eáque multiplex: aut enim effunditur bilis laborante iecore, vel veſica fellea obſtructa; aut ſine vlla iecoris affectione, vt fit in febribus. Quibus ſuppoſitis colligimus icterum eſſe triplicem: vnum planè ſymptomaticum, à iecore, ſcirrho, obſtructione, inflammatione, grauiter affecto: alterum criticum, ſed imperfectum, aut prauum ante ſeptimum factum: tertium criticum & perfectum. Qui ſicut ante ſeptimum fieri non poteſt, ita poſt ſeptimum, nonum nēpe, vndecimum, decimum quartum, criticus hoc ſenſu dicitur, modò ſequentibus circunſtantiis coniungatur: vt ſcilicet die critico, antegreſſis coctionis ſignis incidat; ſine hypochondrij duritie, aut inflammatione, atque cum puritate veſicæ, & alui excrementorum. His notatis, licet ex doctrina Hipp. colligere, icterum aliquando malum, aliquando ambiguum, aliquando mortiferum, aliquando ſalutare ſignum eſſe. Salutaris quidem eſt, qui poſt diem ſeptimum, prædictis conditionibus fit: exitialis, qui ſymptomatico motu morbi ante ſeptimum: eo enim tempore flaua bilis cruda, in ſudorem abire non poteſt: habétque malignitatis ſigna, malā criſim ſignificantia, aut malum iecoris, aut veſicæ felleæ affectum. Ex quibus malis, cùm vltra ſeptimum diem poſſit etiam

bilis

bilis ſuffuſio fieri : ſit vt non neceſſario concludi poſſit, bonum eſſe icterum factum poſt ſeptimum diem. Sic icterus vitio hepatis factus, non æqualiter eſt pernitioſus. Nam qui à ſimplici obſtructione fit, cuius cauſa facilè interdū mouetur, cibis, medicamentis extenuantibus, deinde catharticis bilem purgantibus, & ſæpius iteratis, minus periculi habet. Qui verò ab ingenti hepatis inflammatione, lethalis eſt. Et ſi in febre ardente fiat, cum ſingultu die quinto, niſi intra primum circuitum, hæmorrhagia, aut poſt vigeſimum diem, ſuppuratione liberetur æger à mortis periculo : at qui icterus ab ſcirrho hepatis fit, in hydropem ducit ægrum. Prætermitto icterum nigrum, qui fit non ſolùm affecto liene : ſed etiam ab hepate calidiore, quod ſanguinem aſſando mutat in atram bilem: quia eius prognoſis facilè ex affectibus lienis, & ex ſupradictis poteſt colligi. Icterus verò qui à cauſis procatharticis, vt ab exhauſtu veneni, vel morſu beſtiæ venenatæ, habet ſuum prognoſticum ab accidentibus quæ tales cauſas ſequuntur.

* * *

De progn. à qualitatibus mutatis quas medicus auditu percipit circa ægrum.

Cap. IX.

QVæ de aurium vitiis diximus lib. primo, de modis erant quibus auditus lædebatur,ab ægris tãtùm recenſitis. Hic autem de vocibus & ſonis,quos medicus circa ægrum conſiderans,prognoſim firmat, ſiue voces clangentes ſint turbidæ,tremulæ,rãcæ,ſiue ſoni & murmur inteſtinorum , ſiue ſtrepitus dentium & ſimilia. Accidunt igitur voci læſiones deprauatæ, diminutæ vel abolitæ, tum per multas affectiones facultatis animalis,laryngis , faucium , neruorum recurrentium , cerebri , diaphragmatis ventriculi,&c. Tum maximè , per affectus pulmonum. Minuitur ſiquidem, exigua & obſcura fit vox , infirma facultate in cerebro , aut per muſculorum & neruorum affectum. Aliquando ſubitò intercipitur , multa euaporatione à commota materia,aut catarrho pręforante. Deprauatur & fit rauca , diſtillatione è cerebro, multo humore fauces imbuente, & guttur irrigante. Deprauatur dum acuta & clangoſa fit, anguſtia vocalium inſtrumentorum. Quæ ſi naturalis fuerit,vt in pueris,ſpadonibus,& mulieribus,nihil mali portẽdit : ſi verò præter naturã,

ſiue

ſiue primò & per ſe muſculi laryngis ac vocalia inſtrumenta phlegmone obſideantur, vt in angina, ſiue abſente phlegmone, in febribus acutis,& ardentibus calore vrente & exiccãte, fiat eiuſmodi anguſtia,periculoſum affectum oſtendit. Deprauatè etiam læditur vox,cùm tremula fit. Quòd ſi in morbis acutis contingat,reſiccata aſpera arteria, propter viciniam cerebri vehementer reſiccati, & æſtuantis, ſummam virium imbecillitatem ſignificat, vel inchoatam quandam conuulſionem præmonſtrat. Vox autem tremula in morbis acutis copioſam humiditatem cauſam habet aliquando. Quæ ſi ſuperficiem inſtrumentorum tantum madefaciat, vocem raucam duntaxat facit. Si verò altius in muſculos vocales ſeſe inſinuet, eorumq́ue motum impediat, inſtrumentis præ multitudine titubantibus,vocem tremulam efficit. Ita enim balbutiunt ebrij. Ac tandem increſcente ſupra modum effectione, vox in totum deſtruitur, muſculis ſcilicet paralyſi quadam affectis.

De progn. ab ſtridore dentium.

CAP. X.

HAbent dentes conſenſum cum omnibus præcipuis partibus corporis, cum cerebro nempè, per neruos à tertia coniugatione, cum

corde & hepate, per arterias & venas quæ inſe-runtur parti penitiori ipſorum dentium. Et ob id præſagia ab eorundem affectibus ſumuntur, preſertim ab ſtridore. Strident ergo dentes muſculis temporum aut maxillarum, vel conuulſoriè motis, vel propter imbecillitatem trementibus, idque ſine febre, aut cum ea. Sine febre quidem, vt in apoplexia, conuulſione, capitis vulneribus, ab oppreſſione: ſic propter debilitatem natiuam muſculi mouentis maxillam, ſine febre ſtrident dentes, vt in pueris dormientibus euenit, quibus nerui ſunt imbecilliores, tum etiam muſculi breuiores. Cum febre verò ſtrident dentes, non à peculiari vitio dictorum muſculorum, ſed malè affecta neruorum origine, ſiue ab oppreſſione & copia, ſiue ab inanitione & ſiccitate conuellantur. Quare, quoad prog. ſi dentes à natura & peculiari vitio inſtrumentorũ ſtrideant, nihil aliud mali denuntiant: quia leuiſſima de cauſa homo ita conſtitutus afficitur, vt à ſolo vapore incluſo, ſicut in principiis acceſſionum, aut à putri euaporatione è vermibus, aut à facultatis animalis contractione ad interiora inter dormiendum. Per febres autem prædictos muſculos malè affecta ſua origine conuelli, pernitioſum ſignum eſt, quia affectus eſt exhauſti humidi primigenij, & immoderatæ ſiccitatis cerebri, aut oppreſſionis. Exiccati enim nerui contrahuntur ad ſuam originem, & im-

& imbecilla facultas motrix mouere, vt ante, non potest.

De prog. ab strepitu.

Cap. XI.

AVdiuntur strepitus dormientibus dum stertunt & in sanis & in ægris. In vtrisque fit ab exeunte flatu in arteria, vt vox in gutture quando hoc otiante per partes & angustatur & distenditur, aut humore repletur arteria, aut pulmonum bronchia obsidentur. Ex quibus solis in ægris nihil certò potest præsagiri de morbi exitu. Exauditur strepitus aliquando in ægris bibentibus & sanis; in vtrisque quidem sine periculo, cui potui occursans spiritus in causa est. In ægris autem & acutè febrientibus, quibus illud contingit à vehementi siccitate (vbi enim per angustum & siccum canalem liquor mouetur, sonitum & strepitum facit) letale signum putatur Hippocrati, & vulgo. Auditur strepitus in pectore pleuriticorum, & purulentorum cum stertore quodam; qui, quia materiæ feruorem & agitationem, ac eiusdem & contumaciam, aut copiam, quæ ad laryngem redundat, vel bronchiorum obstructionem, vel facultatis imbecillitatem arguit, in malis habetur, & plerũque lethalis est, maximè si adsit facies tristis,

cum oculis eruginosis & turbulentis per apho. *In coacis quibus pleuriticis strepitus in pectore multus, & facies tristis, oculus eruginosus, & turbulentus, moriuntur.* Percipitur quoque strepitus in aluo, cùm flatuosus spiritus per anfractus intestinorum circumuoluitur, nec alterutra parte erumpit, modò tenuis & sonorus, per angusta & tenuia intestina, modò, cum quodam murmure, per crassa & ampliora, vnde interdum inflatio & distentio exoritur. Illic, si flatuosus ille spiritus, tormina cum dolore, & sine sonitu adferat, in hydropem siccum terminatur, maximè si dolor nullis remediis cesserit: inde enim significatur intestinorum intemperies hectica, & inflammatio aliqua interna, hîc verò alui deiectionis futuræ est signum per aph. *Quibus ructus, flatus, strepitus ventris exuberat venter atque perturbatur.*

De progn. qualitatum mutatarum odoratu perceptarum.

CAP. XII.

VElit nolítve medicus, tetros odores plerunque præsentire cogitur, qui in transpiratione & respiratione ab ipso ægro & adstantibus deprehenduntur, siue ex toto corpore, siue ex naribus, auribus, ore, siue axillis tantùm spiritus ille olidus exhalet. Est enim fœtor putredinis

nis ſoboles, cuius ratio ex ſupra ſcriptis ad duos in vniuerſum modos referri poteſt. Vel enim ex omni genere ſuperfluitatum, ex toto corpore redundantium, quæ derelictæ ab opere facultatis coctricis, in putridum odorem & moleſtum, tranſpiratu perceptum, vertuntur: vel à propriis & particularibus membris corruptis, putrefactis, aut vlceratis prodiens, tetrus ille olidus ſpiritus, ægro etiam ipſi infenſiſſimus eſt. Et quoad prognoſim, quemadmodum odoris abſentiam in purè & excremẽtis vituperamus cum Hipp. ita fœtorem intolerabilem in morbis acutis ex toto corpore expirãtem, ſuſpectum iudicamus: & cum aliis ſignis coniunctum, lethalem. Significat enim tantus fœtor, non ſolùm ingentem putredinem: ſed etiam febrilis caloris malignitatem, potiùs quàm magnitudinem. Quantum ad qualitates mutatas, quæ guſtu percipiuntur, quia non decet medicum excrementa guſtare, quæ de læſionibus guſtus dici poſſunt in hoc inſtituto, quærenda ſunt capite vndecimo libri primi huius operis.

De progn. qualitatum mutatarum quæ tactu percipiuntur.

Cap. XIII.


Tactiles qualitates moleſtiam adferentes, aliæ ſunt quæ ab ægro tantùm percipiuntur,


tur,vt dolores,ſtupores. Aliæ ſunt,quæ medicus etiam manu admota diſcernit, cuiuſmodi ſunt caliditates,aſperitates,lenitates,durities, mollities,&c. De quibus omnibus ſatis abundè ſcripſimus primo libro,cap.de læſionibus ſenſus tactus, ex quo quæ ad hunc locum ſpectant petenda ſunt,ad quæ pertinere quodammodo videntur & hoc loco inſerenda veniunt, quæ de habitu ægri ſenſibus ipſis indicat medicus, & maximè in morbis acutis. Rationabile quippe eſt in febribus corpora non multum extenuari, nec etiam in eadem habitudine perſiſtere, qua ante morbum erant prædita. Illud enim niſi ab aliqua cauſa externa contingat, vigiliis ſcilicet, inedia,inſigni aliqua euacuatione,à magnitudine morbi accidiſſe intempeſtiuè,dicendum eſt. Non eſt enim tam ſuſpecta extenuatio quæ ſequitur febris magnitudinem (rationabilis enim eſt) quàm ea quæ à debili & exigua febri. Tunc enim caloris natiui langorem,non potentis præ debilitate coctionis, ne minimum quidem eius quod conſumptum eſt,reſtaurare, accuſandum eſt. Non eſt etiam mirum ſi corpus non multum collabatur in exigua febri. Si verò magna eſt febris, nec eam ob rem corpus attenuetur, aut immutetur, inquit Gal. comment. in aph. 28. lib. 2. Tunc non paruam humorum abundantiam crudorum in corpore redundare, ſignum eſt,quæ ſi vires permiſerint,morbi longitudinem

tudinem portendit. Notandum hoc loco eſt celeriùs, vel tardiùs fieri; faciliùs vel difficiliùs ratione temporis & ætatis, hanc extenuationem. Celeriùs quippe extenuantur infantes & ſenes, quàm mediæ ætatis homines; æſtate, quàm hyeme.

*

Finis libri quinti ad gloriam Dei Opt. Max.





PROGNOSEOS MEDICÆ, DE AFFECTIBVS AD CHIRVRgiam pertinentibus,

LIBER SEXTUS.

De abscessibus in genere.

Capvt I.



RAEDICENDI facultas, non solùm ad morbos internos tam acutos, quàm longos; verùm etiam ad externos omnes extenditur. Et maximè ad eos, qui ex collectione humorum gignuntur, & ad reliquos etiam, quorum excrementa conspici possunt. Illius generis sunt, aposthemata & abscessus omnes: huius, vlcera & vulnera. Quibus addenda putamus, quæ ad membrorum compositionem pertinent, qualia sunt quæ de fracturis & luxationibus haberi possunt

possunt prognostica, de quibus sigillatim agere in animo est, ab abscessibus exordiendo. Nomine igitur abscessus in medicina nihil aliud significatur, quàm translatio, siue motus humoris, siue separatio ab vna parte in aliam. Et quia huiusmodi humoris transmigratio solet tripliciter fieri, per materiæ nēpe decubitum & prolapsim ab vna parte in aliam, vel per secretionem & egressionem eiusdem extra corpus, vel per transitum alterius morbi in alterum. Hinc tria abscessuum genera notantur à medicis: in primo quorum, & in postremo, materia morbifica in corpore retinetur, ea tamen differentia, vt in illo cumuletur materia in loco particulari & sensibus perspicuo, in hoc verò minimè. In eo enim abscessus genere, aliquando materia naturam tantùm mutat, aliquando etiam locum, licet imperceptibiliter.

Abscessus autem apud chirurgicos dicitur de omni humoris productione & expulsione manifesta & particulari, à partibus internis ad exteriores. Quo nomine non solùm tumores præter naturam: sed etiam pustulæ & exituræ pruriginosæ comprehenduntur. Ea tamen differentia, vt tumores ab humoribus sola quantitate peccantibus generari putentur. Pustulæ verò & exituræ ab humoribus non naturalibus, & qualitate potiùs quàm quantitate peccantibus.

Absces-

Abſceſſuum duplex conſideratio hoc loco annotanda, vel quatenus ſcilicet ſunt ſoboles febrium vel quatenus febres ab his habent originem. De vtriſque nobis agendum eſt, à parotidibus auſpicando.

De progn. parotidum.

Cap. II.

PArotides de abſceſſibus ſunt qui febribus ſolent ſuperuenire, in quibus humorem noxium in aurium glandulis natura reponit: facilè enim partes illæ, ob laxitatem venarum, & arteriarum, illac ad cerebrum aſcendentium amplitudinem, fluxionem excipiunt, modò à capite, modò à reliquo corpore. Non ſunt tamen parotides omnium febrium ſoboles: Non enim fiunt in cauſone legitima, ab inflammatione nobilis alicuius viſceris : vel à putredine humoris biliosi, in venis maioribus iecoris, pulmonis, orificij ventriculi. Tales enim febres iudicantur potiùs hęmorrhagia, aut ſudore, aut vomitu, aut deiectione biliosa. Quòd ſi in prædictis & acutis morbis interdum parotides appareant, ſymptomaticè magis, quàm criticè fieri putandum eſt. Non fiunt etiam in diuturnis febribus à materiæ contumacia, tum propter frigus & craſſitiem humoris, tum propter virium longo temporis

temporis ſpacio imbecillitatem. Finiuntur potiùs tales febres abſceſſu in crura,& partes inferiores, modò ne vrina craſſa & multa, cum multa hypoſtaſi ſubducat materiam abſceſſus. Sunt igitur febres quibus ſuperuenire ſolent parotides mediæ,& ita longæ, vt ſecundam periodum vniuerſalem, quæ in quadrageſimum diem incidit, ſuperent, dicuntúrque tales morbi acuti per decidentiam. Ex quibus colligimus tria eſſe neceſſariò concurrentia vt parotides fiant. Primùm, materia craſſior & copioſior, quàm ſit in verè acutis. Secundò calor paulò vehementior, quo materia attenuetur, penetret & ſurſum efferatur. Tertiò naturæ robur, quo deficiente, ſymptomatica tranſlatio conuulſionem aut aliquid ſimile accerſit. Varios ſiquidem affectus parit humorum ad caput tranſmigratio, pro varia eorundem qualitate: calidi ſiquidem & tenues, ait Gal. comment. in ſent. 37. 3. prorrh. deſipientias, & ſanguinis eruptiones, procreant: Craſſi verò & frigidi, comata & parotidas. Prognoſis igitur parotidum ex arte colligi poterit, præmiſſa conſideratione in quantùm diſtant à bonis & ſalutaribus abſceſſibus. Habent enim boni abſceſſus, tres potiſſimùm conditiones. Vna eſt, vt maximè deorſum fiant: altera, vt quàm longiſſimè à morbi foco abſint: tertia, vt appareant cum ſignis coctionis. Ex quibus conditionibus, cùm duæ priores abſint à parotidi-

X

bus, non est mirùm si rarò salutares esse soleant. At tamen quæ sunt laxæ, molles, sine dolore, sine rubore, sine inflammatione, quæ vel facilè discutiuntur, aut commodè & expeditè ad suppurationem ducuntur, innoxiæ & salutares esse consueuerunt. Soluuntur itaque parotides aut quia discutiuntur, vt quæ molles, laxæ ex caliginosa & flatuosa substantia sunt: aut quia per alios ductus expurgantur, vt per hæmorrhagiam, per aluum & vrinas. Quæ solutiones laudabiles æstimantur, si inde sequatur remissio, tam febris, quàm symptomatum. Præcesserintque signa coctionis, aut finiuntur recursu humoris ad interiora. Quo refluxu, modò esse mortem in propinquo pronuntiandum, modò recidiuam, ex Hipp. sect. 4. 6. epid. illud quidem, si augeantur symptomata, vt coma, delirium, dolor capitis & febris, hoc verò, si neque augeantur, neque minuantur prædicta. Terminantur denique parotides, quia suppurant. Cui suppurationi fidendum quidem erit, si febris materia etiam in venis victa fuerit: non fidendum, si contrarium sequatur. Potest enim fieri coctio in aliqua parte, toto morbo crudo existente. Ad prog. quoque pertinet scire, parotidas quatuor nominibus esse periculosas. Primò, ratione loci. Secundò, si diebus criticis non appareant, & cum signis coctionis. Tertiò, si fiant à materia lenta & crassa, ita vt non possit superari, aut

ri, aut si cum phlegmone & dolore (vnde vires deiiciantur) coniunctæ sint. Quartò, si infirmis viribus superueniant: tunc enim neque paruæ, neque magnæ aliquid prodesse possunt; illæ, quia nihil conferunt, cùm habeant materiam copiosam, & nullum paucum criticum; hæ, quia vires debiles suffocant: abscessus enim facti in multa copia crudorum humorum, siue parui, siue magni fuerint, sunt semper lethales.

De prog. abscessuum pectoris.

Cap. III.

SVperueniunt abscessus in pectore ab affectis pulmonibus, vt ab inflammatione eorundem, à plenitudine, à fluxione pituitosa & salsuginosa, à raucedine. Nam aliquando à tumente pulmone & corrupto, qui costis agglutinatus est; interdum à multa sanie partibus internis conclusa, nonnumquam à noua fluxione in musculos externos decumbente, quòd pulmo propter plenitudinem, angustiam, & obstructionẽ, nihil admittat ampliùs, attollitur pectus & abscessu corripitur. Qui abscessus, quia vi adaucti morbi succedunt, & eius victoriam significant, in malis habentur per aph. in coac. *Cum raucedine sputa viscida, salsuginosa, malum. Quòd si aliquid exurgat ad pectus, in his malum.* Péssimi au-

tem ſunt ſi ad interiora ſubſideant. Et quemadmodum abſceſſus illi omnium optimi cenſentur, qui (vt antea diximus) maximè deorſum & longiſſimè à morbi foco diſcedunt, ita pernitioſiſſimi ſunt contrarij. Quod ſi abſceſſibus apertis, ſanguis cum purè è thorace prodeat, morbus non eſt ita periculoſus, nec tam curatu difficilis quàm vlcus pulmonum, tum quia thoracis motus minor eſt multò quàm pulmonis, imò nullus, in reſpiratione naturali. Secundò, quia extra ad pectus prompta eſt auxiliorum admotio. Tertiò quia non modo recens in eo vulnus agglutinari poteſt, teſte Galeno, ſed & diuturnum veram poteſt admittere cicatricem.

De progn. tumorum ventris.

Cap. IIII.

TVmores in multis ventris partibus ſolent fieri, qui variis notis depræhenduntur, ſiue in alterutro hypochondrio, ſiue in omento, ſiue in meſeterio & pancreate, ſiue denique in muſculis abdominis generentur. Manifeſtiores tamen ſunt & tactui ipſi occurrunt potiſſimùm, qui in ſupradictis muſculis fiunt tumores. Dolent enim ſiue premantur manu, ſiue non. Eſt enim pars ſenſu prædita. Cùm vt plurium internatum

ternarum partium tumores indolentes sint. Et quoad prognosim, hoc de omnibus tam internis quam externis tumoribus ventris, dici solet, vt qui duri sunt & dolentes, vel molles sine dolore, sint ad suppurationem apti: molles enim & dolentes nulli esse solent. Sic tumores qui sub vmbilico fiunt, & qui in imo ventre, tardius & difficilius suppurantur, qui verò in hypochondriis celeriùs, per aph. in coacis animaduersionibus. *Eadem est ratio in tumoribus qui circa ventrem excitantur, atque præscripta in hypochondriis. Sed hæc, quàm illa minùs suppurant, minimùm verò quæ sub vmbilico.* Ratio in promptu est: quia quò tumores longiùs ad infernas partes recedunt, eò seriùs & minùs suppurant. In hypochondriis autem caloris vis maior inest, propter vicinas partes contentas: ideò eorum tumores celeriùs in pus conuertuntur, sub vmbilico tardiùs.

De progn. abscessuum inguinum & adænum.

Cap. V.

ABscessus qui fiunt in adænibus & glãdulis (fiunt enim in eis facilè inflammationes & tumores, cùm sint partes molles & nullius actionis, solúmque ad diuisionem vasorum dicatæ) nomine bubonis intelliguntur, qui causam manifestam internam vel externam hãbẽt.

Interna est defluxio in articulos aut pedes, menses suppressi, &c. Externa verò contusio illarum partium, vlcus articulorũ, aut tumor. Sunt autem bubones eiusmodi aliquando absque febre, aliàs cum febricula vel diaria. Plerumque putrida, provt corpus impurum fuerit. Prognosis horum abscessuum tota posita est in cognitione causarum ex quibus fiunt, cùm nihil plus adferant periculi, quàm affectio ipsa, quæ illorum est causa. Superueniunt ergo abscessus eiusmodi morbis criticè aut symptomaticè. Illi fiũt motu naturæ, aut magnitudine morbi, aut celeritate, aut irritamento alio cõcitatæ, cum quodam ordine, aut signis alicuius, vel obscuræ, vel manifestæ coctionis. Si quidem manifestæ, finiuntur febres putridæ crisi perfecta. Si verò obscuræ, crisis imperfecta erit, longitudinemque morbi significat. Duabus de causis. Vel quia relinqui materiam intus ostendit. Quæ si maligna est, & malignis signis significata, de morte est suspicandum. Si vero copia tantum vrget, cæteráque salutaria appareant, solius diuturnitatis est periculum. Vel quia pars quæ excipit, propter imbecillitatem, crudam materiam vincere non potest, nec totam excipere: vnde fit materiæ intro recursus, aut ibi corrumpitur. Bubones verò symptomatici apparent sine ordine dierum criticorum, sine signis coctionis, potiùs à diffusione putredinis, quàm à naturæ motu.

motu. Sequuntur enim interdum inflammationem alicuius visceris. Interdum venenatæ qualitatis sunt germina, vt in peste, aut corrupti nobilis alicuius visceris. Celerrimeque sine certamine naturæ hominem rapiunt. Virtus enim valdè deiecta, vt in peste, non excitatur ad pugnam contra materiam venenatam. De bubonibus qui non habent causam ita occultam, & reconditam, extat aph. 55. lib. 4. *Ex bubone omnes febres malæ præter ephemeras.*

De progn. pustularum & phlictenum.

Cap. VI.

VArij sunt abscessus, prauorum humorum & propria substantia corruptorum, soboles. Qui generali significatione exanthemata dicuntur, in doctrina Hippocratis. Suntque lænes humorum eruptiones cum tumore. Quas peculiari appellatione, pustulas & phlictenas, ab ebullitione intelligimus. Sicut per exãthemata maculas minimè exuberantes, & in summa cute efflorescentes. Pustulæ igitur ab humoribus qualitate peccantibus factæ, variæ sunt, earumque natura diuersa, propter diuersam humorum malignitatem: modò enim exulcerantur, modò partes vicinas exedunt, &c. Quarum generatio hæc est. Corrupta sanies feruore cordis

ebulliens, exhalat à centro ad cutem. Et in partibus solidis humor alens, vel vitio partis, vel humoris ipsius, aduritur, acrimoniamque & salsedinem, vstarum partium mistione, acquirit. Qui humor ad cutim protrusus, si tenuis fuerit, sola cuticula attollitur, vnde sudamina vulgò dicta fiunt. Sim crassior, tumet cutis & exulceratur: fiuntque pustulæ, quæ pituita salsa albicant. A bile magis rubent, cum flauitie quadam. A sanguine & iecore affecto, saturatum ruborem edunt. Ab atrabile, nigrescunt, & pernitiem portendunt. Quarum prog. varia colligitur, pro vt variis affectibus sequuntur & apparent. Apparent namque in febribus criticè. In quibus reliquiæ sanguinis, qui in febre putruit, tanquam cinis aliquis, à natura sæpè propelluntur ad cutem, totius corporis emunctorium. Si scilicet, inde sequatur alleuatio, & symptomatum remissio. Atque excrementa alui & vrinæ pura nec nimium biliosa videantur. Apparent symptomaticè, veri adaucti morbi in febribus, si permanserit febris post eruptionem, si cruda & praua excrementa fuerint, & si permaneant, ac multo deterius, si vbi produci ceperint, statim desinant. Quod duorum alterum significat. Nempè aut quia partes affectæ, vnde materia illa effunditur, ob copiam, eandem non possunt tollerare. Vel naturam ad summum ferè infirmitatis gradum peruenisse: quæ superflua quidem

dem excernere conatur, sed nequit. Apparent quoque pustulæ symptomaticè, & malis ægri rebus, in vehementi intemperie, & corruptella alicuius visceris, vt in tabidis & pulmonibus malè affectis, ex coaceruatione saniei erodentis in corpore, & sanguine ichoroso corrupto. In quibus est causa maioris atrophiæ, vigiliarum, & febris. Et maximè si aluus supprimatur, & vrina acrior euadat. Vnde acris humoris perennis generatio colligitur, & eius copia. Sic in vulneribus capitis sanie in cerebrum effusa, & maximè in moribundis, pustulæ in lingua superueniunt: propter connexionem ipsius, & vicinatatem cum partibus superioribus. Pariter in eadem parte pustulæ succedũt pleuritidi, ab ichore cum alio prauo humore coniuncto. Quæ vel morbum difficilem testantur, vel lethalem. Et potissimùm si color liuidus coniungatur, qualis in ambustis, vnde declaratur humoris exustio, & bilis atræ permixtio, cum caloris natiui extinctione in parte liuente. Superueniunt denique pustulæ in febre pestilentiali. Quæ quia consistit in sanguine atro, aut vitali in corde propria substantia putrescente & ebulliente, cum venenata quadam & contagiosa qualitate, pustulis, aut carbunculis, aut bubonibus externis, aut phlictenis, stigmatibus, vlceribus, pestilentem atque putrilaginosum calorem habentibus, se manifestat, funesto iudicio. Præsertim

ſi primis diebus oboriantur: moriuntur enim ægri veneni malignitate, & humoris corruptione.

De progn. vlcerum.

CAP. VII.

VLceris conſideratio,ſiue ante morbi principium oriatur, ſiue poſt, in prædicendo de morbi exitu plurimum poſſe colligitur ex ſententia 25. primi prog. vbi inquit Hippocrat. *Vlcus verò ſi quis eo ante morbum obſeſſus fuerit, ſiue in morbo natum ſit, cuiuſmodi ſit ſcienter tenere oportet. Nam ſi interiturus ſit æger, &c.* In quacunque igitur parte fiant vlcera (quantum attinet ad hoc inſtitutum) conſideramus,tam ea quæ præcedunt, quàm ea quę morbis ſuperuenire,ſiue bona ſiue mala fuerint conſueuerunt: quibus diligenter perſpectis,de morbi vniuerſalis fine pronuntiamus. Quemadmodum enim morbus, in cuius vlceribus humiditas laudabilis, & puris optima confectio apparet, ſecuritatis eſt plenus. Ita ille funeſtus indicatur, cuius vlcera vel prauis coloribus veſtiuntur, vel ſicca, vel circunglubra euadunt. Eſt enim puris confectio, quædam in ſolidis partibus benè conſtitutis,in materia benigna facta concoctio. Ergo quocunque morbi tempore vlcera vel ſponte, vel telo fiant: in quocun

quocunque loco (magis tamen in extremis) inclinante morbo ad exitium, puris inopia arefcunt, alimenti defectu & ficcitate contrahuntur, calore natiuo extincto liuefcunt, pro humorum affluentium varietate praué colorãtur, atque circum labra fiunt. Eftque hoc fignum tam certum Hippocrati, vt exiftimet non modo talia facta vlcera, vi febris hominem moriturũ denuntient. Imò etiam fi moriturus fit æger, talia neceffario euadere. Quòd tamen de ficcitate non eft fimpliciter pronuntiandum. Cùm vlceris curatio ex Hippocrate lib. de vlceribus, fit eiufdem mediocris exiccatio. Ea enim tantum ficcitas dãnanda eft, quæ propriæ fubftantiæ defectu, vel excrementorum paucitate contingit. Quæ verò fordium, & fanici determinatione, laudanda.

Superueniũt autem vlcera quibufdam morbis aliis à febre: vt aqua inter cutem laborantibus, in quibus non facilè fanantur per aphor. 8. lib. 6. *Aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore vlcera, non facilè fanantur.* Notat Auicennas hydropicis duo vlcerũ genera fuperuenire. Quorum alia in ore & gingiuis apparent, à tetris vaporibus furfum elatis. Quæ mortem in propinquo eo authore fignificant. De quibus tamen non loquitur prædictus aphorifmus. Alia in habitu corporis. Quæ quia in hydropicis nimia eft humiditas inftrumentalis, & fumma ficcitas fimilaris,

milaris, quæ duo vnitatem retardant, iure optimo curatu difficilia iudicantur.

De progn. fistularum.

Cap. VIII.

Quia fistula definitur vt sit vlcus altum, angustum, callosum, & aliquãdo obliquum, meritò inter vlcerum genera numeratur. Quæ vt plurimũ succedit ab abscessibus malè curatis. Cuius prognosis pendet omninò ab eiusdẽ triplici differẽtia. Quæ sumitur vel à loco, vel à figura & spatio, vel à modo & genere puris. Ex quibus licet pronunciare, quę fistulę faciliùs vel difficiliùs curantur, & quæ sunt incurabiles. Quibus Celsus addit naturã ægri. Locus igitur facit, vt fistulæ aliæ sint curabiles, vt quæ in partibus carnosis & mollibus, aliæ curatu difficiles & plerunque incurabiles. Vt quæcunque cartilaginosis, neruosis & excarnibus partibus nascuntur. Tum quia earũdem curatio perfici non potest, nisi chirurgica operatione; nempè sectionibus, igne, adurentibus & exedentibus medicamentis, ac vinculis. Quæ locis prædictis, exanguibus & neruosis, propter inflammationes, dolores, vigilias, (à quibus conuulsiones & deliria plerunque sequuntur) tutò tentari non possunt. Sic fistulæ difficile curantur in par-

partibus, quæ continuò superflua humiditate madent. Eandem difficultatem facit figura fistulæ & spacium eius. Quarum enim cauitas altiùs peruenit,& longiùs excurrit pluresque sinus & cuniculos egit, difficiles sunt curatu, duplici ratione. Primò, quia manu chirurgica egent, vt ante dictæ. Quòd propter dolores, febres, anxietates, maximè si neruus vicinus fuerit, aut pars præcipua, tutò exequi non potest. Secundò quia colyria & alia medicamenta, ad omnes partes non possunt peruenire: vel quia interiores sinus latent, vel quia longiùs distant ab ingressu, vt in veteratis solet contingere, in recentibus minimè. Idem iudiciũ est de fistulis, quæ ad interiora penetrant. Tertia fistularum curationis difficultas, vel facilitas, colligitur ex quantitate, qualitate, & modo puris exeundi. Nam si pus continenter & incessanter è fistula manat. Id fit vel partis fistulatæ vitio, vel alieno. Si vitio partis, plures esse sinus & quoquouersus sparsos cuniculos (vnde curationis difficultas) significatur. Si vitio alieno, aut ichorosũ & corruptum sanguinem in toto corpore, ostendit. Aut aliquod viscus interius malè affectum; cuius superflua per fistulam, in modum abscessus continenter expurgantur. Cuius euacuationis beneficio, plerosque valetudine integra perfrui, sicut hæmorrhoidibus testatur Hipp. sect. 3. lib. 6. epid. non procul à fine, & experientia fonticulorum

culorum, qui multi ad hunc finem aperiuntur, comprobatur. In neutro igitur harum fiſtularum genere, curatio facilè perficitur, propter perennem humorum effluxum, in poſteriore tamen periculoſa eſt, propter ſuppreſſionem ichoris, qui ſine noxa in corpore non poteſt retineri. Et in ſumma omnes fiſtulæ ſunt curatu difficiles, quarum orificia clauduntur caruncula, callo duriore, aut quæ carent orificio, vnde nec educi poſſunt ichores, nec medicamenta immitti, nec denique ſine chirurgia crudeli poſſunt apperiri.

De prog. vulnerum.

CAP. IX.

VVlneris nomine in genere ſumpto omnis magna offenſio, ab externa cauſa pēdens ſignificatur. Etiamſi nullum ſit vulnus nullaque continui ſolutio manifeſta, apud Gal. comment. in ſent. 12. ſect. 5. lib. 6. epid. Particulari nomine eodem ſumpto. Definitur à chirurgicis, vt ſit recens cōtinui ſolutio cruenta, ſine pure & putrefactione, in partibus mollioribus, extrinſecus incidens. Quibus differentiis ab vlcere diſtinguitur, quamuis nomine vnius alterum apud Hipp. intelligatur. Vt autem de omnium vulnerum exitu certius poſſit præſagiri. Quædam ſunt

ſunt de illis in genere prænotanda. Cuiuſmodi ſunt magnitudo, paruitas, malignitas, prauitas, difficultas, vel impoſſibilitas curationis, quibus addenda ſunt vulnera quæ toto genere ſunt lethalia. Magnum ſiquidem vulnus & graue dicitur apud Gal. cap. 6. lib. 4. methodi, ſicut & cæteri omnes morbi. Præſtantia ſcilicet partis, qualia ſunt vulnera capitis, ventris, thoracis, hepatis. Affectus magnitudine, vt ſunt vulnera quæ cæſis maioribus vaſis, difficilem reddunt curationem. Atque cachoetia. Talia ſunt vulnera partium neruoſarum, quæ malefica vulnera dicuntur. Quæ lethalia quidem non ſunt ſuapte natura: noxam tamen aliquam inſignem relinquunt: cuiuſmodi ſunt, quæ illata ſunt altiùs ſyncipiti. A quibus ſæpè inflammationes & dolores oculis commouentur. Maligna & praua ſunt vulnera, à quibus ſtatim grauiſſima ſymptomata ſequuntur. Dolores nempè, vigiliæ conuulſiones, & deliria, quæ vulneribus inflictis partibus neruoſis, carne expertibus & oſſeis, ſuperuenire ſolent. Ex vulneribus igitur quæ difficulter curantur, alia ſunt quæ nũquam ſanantur, quorum quædam lethalia non ſunt, quædam mortem neceſſariò inferunt. Difficulter enim ſanantur neruorũ vulnera, quæ tribus digitis à iunctura diſtant, quæque ſymptomata prædicta habent concomitantia. Lethalia ſunt vt plurimũ toti corpori, quæ viſceribus interniſque

nisque partibus altiùs impinguntur. Parti verò alicui, quæ sauciatis venis, aut neruis, aut vtrisque, partem non solùm motu & sensu priuant; sed etiam vita. Parua vulnera quæ in locis carnosis, vbi pauci nerui, venæ & arteriæ, nec multæ, nec magnæ, & corpore euchymo contingunt, ea sunt tutissima. Vulnera parua quæ in neruis punctim fiunt, & cum exigua & orbiculatè facta diuisione, non sunt ita tuta. Difficulter enim, teste Aristotele, curantur, quia anguiculis carent, egéntque diligentia magna, & cautione vt curentur. Et in summa. Nullum est vulneris genus, ex quo homines mori non possint, imminente scilicet periculo, à venis, arteriis & neruis, à corporis cachochymia. Deniqueà dolore, febréque superueniente. Sicut, miraculi instar, multi visi sunt, qui ex vulneribus toto genere mortalibus, euaserunt.

De progn. vulnerum capitis.

Cap. X.

NVlla sunt vulnera quæ diligentiorem in præsagiendo requirant coniecturam, quā ea quæ cipiti impinguntur. De quibus tamen omnibus, non vno & eodem modo possumus pronuntiare. Nam quamuis de omnibus vulneribus

neribus capitis dici possit, suspectum & ancipitem eorum esse euentum. Sunt nihilominùs alia aliis grauiora. Pluresque mori ex his qui priore parte capitis vulnerantur, quam ex his qui in posteriore, affirmat Hipp. in libro de vulneribus capitis. Vbi igitur caput ictu aut casu percussum est: aut sola caluaria frangitur: aut etiam membranæ, vasa, nerui, ipsius quoque cerebri substantia violatur: aut humor per cerebrum dispergitur. Vnde duo genera symptomatum solẽt sequi; vnum eorum quæ affectus substantiæ cerebri & circumpositarum partium consequuntur, cuiusmodi est conuulsio, paralysis, delirium, sopor, stupor, totius corporis infirmitas & impotentia, febris, & similia, quæ in vniuerso corpore apparent; alterum eorum est symptomatum, quæ ad facultatis & spirituum animalium, repentinam & vehementem agitationem aut dissolutionem magis pertinent, qualia sunt voce priuari, non videre, non audire, & ferè mori. A quibus symptomatis sauciati aliquando ad se redeunt; in quibus sola virtus animalis offenditur; ob idque se in cerebrum colligit, atque otiatur, aut propter validum dolorem ex toto spiritus in cerebrum reuocat, sine ossis fractura aut vlla neruorum, venarum, vel membranarum ipsius cerebri disruptione. Aliquando attoniti, vel soporati moriuntur, vel vbi ad se redierint, in grauissima

ſymptomata incurrunt, pro varia plagæ natura, & partium vulneratarum ratione. Siue cutis adhuc integra, aut parum vulnerata appareat, ſiue os nudatum & conſpicuum. Quod contingit, cum offenſa per cranium ad cerebrum vſque peruenit. Ita vt ex neruis quidam valdè tendantur, alij diuellantur, aut aliquid in caluaria, cerebro, vel ipſius membranis rumpatur. Ex ſupradictis colligimus prognoſim, vt quæcunque ſymptomata capite ſauciatis cõtingunt, & mox à principio fiunt & apparent, ea minùs terrere debent, quàm quæ perſeuerãt, vel poſteà ſuperueniunt. Initio enim cauſa doloris, loci, hæmorrhagiæ, inordinati motus ſpirituum & humorum, atque facultatum contractionis, multa videntur eſſe lethalia, quæ non ſunt. In quibus ſuperſedere iudicium oportet. Quæ verò vel permanent, vel quarto, ſeptimo, aut deinceps accidunt (quo tempore omnia remitti oportuit) ingens aliquod malum portendunt, vt phlegmonem, putredinem, ſaniei collectionem, & ſimilia. Quare vulnus in hac parte duabus de cauſis mortale eſt, nempè propter nobilitatem partis principis, & ſuperuenientium ſymptomatum grauitatem. Etenim quia pars princeps, celerrimè exhauriuntur ſpiritus, noxaque toti corpori communicatur, per priuationem aut deprauationem facultatis animalis. Symptomata autem grauiſſima ſuperueniunt. Tum ex inflam-

inflammatione, tum ex interceptione cõmeatus facultatis animalis, vt conuulsio, paralysis, &c. De quibus paulò ante. Quod etsi verum sit de omnibus magnis capitis vulneribus: nulla tamen plaga illius partis est, quæ plura & grauiora symptomata adferat, quàm quæ temporibus infertur, siue punctim, siue cæsim diuidantur musculi temporales. Inde enim fiunt febres, deliria, conuulsiones, cataphora, vertigo, apoplexia, carus soporiferus. Causa autem omnium symptomatum ex præstantia loci illius, ex ossibus nempè, musculis, neruis, venis & arteriis carotidibus, pendet: quibus tam arctè connectuntur tempora cerebro, vt nihil mirum sit si tam celeriter affectus temporum ipsi cerebro communicetur. Accedit quod os temporale infirmissiuũ est, nec teste Hipp. libro de vulneribus capitis, vlla alia in parte caluaria periculosiùs frangitur. Prognosis quoque est, scire, non ad omnem illius partis inflammationem, sequi prædicta symptomata; sed duntaxat ad magnas eius affectiones. Ex quibus verificatur, quod in vniuersum dicitur de vulneribus capitis, maxime de magnis, esse valdè lethalia. Quamuis Gal. & alij authores recenseant nonnullos, quorum alij cum penetratione teli vsque ad ventriculos cerebri, alij etiam cum substantiæ cerebri perditione, euaserunt. Quibus exemplis, quia rarissima sunt, & Dei potiùs volũtate,

quàm artis operibus eueniunt, non euertitur illa de vulneribus capitis vniuersalis sententia.

De progn. vulnerum medullæ spinalis.

Cap. XI.

QVia spinalis medulla cum cerebro omnia ferè communia habet, substantiam nempè, neruorum principium, sentiendi vim propè parẽ, meningas duas, à duabus cerebri meningibus productas. Ob id vulnera in ea, non secus atque cerebri sunt lethalia. Non solùm propter partis nobilitatem, ac nerueam naturam: sed etiam propter superuenientium symptomatum magnitudinem, cerebri partiumque vicinarum sympathiam, & curandi difficultatem. Accidit quòd vehemens causa esse oportet, quæ talem continui solutionem faciat. Cùm medulla ipsa à telo diuidi vix possit, nisi sub ictu vehementi, aut vulnere collo inflicto, præsertim parti anteriori, qua vertebræ inter se quidem sunt æquales, propter arctam colligationem, soliditatem atque crassitiem, quodammodo tamen disiunctæ Vnde fit, vt dum vulneratur collum, medulla ipsa attingi queat. Idque vel punctim, vel transuersim. Vulnus itaque quòd transuersim medullam diuidit, necessariò mortem adfert. Quia statim partes omnes inferio-

res

res resoluuntur, vrinæ & fæces supprimuntur. Nec conuenienter remedia admoueri possunt. Præsertim cum os nudare, vt in vulneribus capitis, nequaquam liceat. Quod verò punctim medullam sauciat, nõ semper necat, modo vulnus exiguum sit, quamuis pauci euadant. Notandum quoque est ex hoc genere vulneris, tanto celeriùs in periculum vocari ægrũ, quanto eiusmodi vulnera sublimiore spinę parte fuerint accepta; quod supremæ vertebræ sint omnium præstantissimæ, vt videre est apud Gal. 4. de locis affectis. Notandum pariter, ex his vulneribus aliquandò illæsam euadere substantiam dorsalẽ, fieri tamen sub plaga tubercula, phlegmonem, cõtusionem, vertebrarum luxationem de quibus ex superuenientibus symptomatis præsagiendum. Quemadmodum de omnibus neruosarum partium vulneribus. Quibus dolores, vigiliæ, conuulsiones & deliria, solent superuenire. Quæ tamen absolutè lethalia non sunt Hippocrati. Sed praua, magna & cacoëthe, de quibus sequenti capite.

De progn. vulnerum neruorum.

Cap. XII.

NEruorum vulnera non recensentur à Gal. inter ea quæ necessariò sunt lethalia. Sed

ex his eſſe aſſerit,quæ cacoëthia,magna,& vulgo malefica appellantur. Quibus niſi dolor diligenter ſedetur, phlegmonis generatio prohibeatur,vigiliæ,conuulſiones & deliria ſuccedere ſolent. Sed cùm nerui poſſint vel punctim, vel cæſim, cæſim autem vel per longitudinem vel per tranſuerſum vulnerari, interdum etiam contunduntur: de omni figura plagæ, quæ illis infligitur, non poſſumus vno modo præſagire. Nam punctura (vt antea diximus) eſt omnium difficillima. Cui propter ſenſus vehementiam, nerui cum cerebro continuationem, phlegmones malignitatem,& ſaniei acris ſuppreſſionem, facilè conuulſio ſuperuenit. Quam præoccupat Gal. vulneris cute inciſa, apertione, remediorum tenuiorum, & mediocriter calidorum admotione, qualia ſunt olea roſarum, cham.ſabinum, &c. Cæſiones neruorum per longitudinem factæ,quia vberiùs ſaniem expurgant, non tantam adferunt calamitatem. At vulnus per tranſuerſum inflictum neruis, maiorem conuulſionis metum adfert, propter phlegmonem, quæ à ſectis fibris ad non ſectas cõmunicatur. Sunt igitur vulnera neruorum quidẽ pertinacia,periculoſa & cacoëthe. De quibus nihil certo præſagire poſſumus præter periculum,ingentem dolorem,claudicationem, &c.

De progn.

De prog. vulnerum venarum & arteriarum.

CAP. XIII.

DE vulneribus venarum & arteriarum non possumus vno & eodem modo prædicere. Nam quæ vulnera magnis, vt cauæ (quæ magna per excellentiam dicitur) iugularibus, cruralibus, axillaribus & popliteis, & his quæ ad anum & testiculos perueniunt, magna vulnera infliguntur, necessariò lethalia sunt iudicanda, multis rationibus. Primò propter immoderatum sanguinis profluuium. Secundò propter nerueam naturã. Tertiò propter situm profundiorem, quo neque integris viribus medicamenta peruenire, nec ligatura vena constringi, sistendo sanguini necessaria aut manibus tractari queant. In arteriis quoque sunt iisdem de causis mortalia vulnera. Et tãto grauiora, quanto celeriùs vitæ extinctio sequitur. Effusio scilicet vitalis spiritu, cum tenui, flauo, calidoque sanguine, qui quodam quasi saltu erumpit. Augetur curationis difficultas, propter positum ipsarum, magis à natura reconditum, agitationem perpetuam, substantiam solidiorem, duriorem & pluribus tunicis confirmatam. Additur aneurysma, quod incisa arteria sequi solet, etiam suppresso sanguine: in minoribus autem

venis, quamuis ſupradictis rationibus non ſint ſuſpecta vulnera: duabus tamen, plerumque periculum adferunt, ſiue ſectæ, ſiue contuſæ ſint venæ: vna eſt ſuppreſſio grumoſi ſanguinis intra corpus: nam vbi ſanguis è venis effluxus concreuit, mox qualitatem contrahit, tanto deteriorem, quanto maior mixtio maioris putredinis occaſio eſt; induit ſiquidem ſanguis ille naturam veneni, vnde grauiſſima ſymptomata ſequuntur, & mors ex Gal. cap. 4. libr. 6. de locis affectis: altera ratio eſt, quia venæ minores percuſſæ, aut praua vinciendi ratione compreſſæ, modò mortem partis vulneratæ, modò ſphacelisſnum inferunt.

De prog. vulnerum hepatis, ſplenis & renum.

Cap. XIIII.

NOn poſſumus ſine diſtinctione de exitu vulnerum hepatis pronuntiare. Cùm ex his alia neceſſariò mortem, alia grauem metum, ſine tamen certa deſperatione adferant, ſpectata partium ipſius hepatis vulneratarum varietate, vulnerum magnitudine & paruitate. Multum enim intereſt, an vulnus in parte ſumma hepatis, acceptum fuerit, an penitùs penetrauerit. Hoc enim certiùs multo, & celeriùs, illud verò tardiùs necat. Quod autem Hippocrat. in coacis animaduerſionibus, enumerat vulnera hepatis

hepatis inter ea quæ necessariò interimunt. Intelligendum est, non eodem genere mortis, nec semper interire ægros. Nam exiguum vulnus in fibris, sine corruptione substantiæ hepatis, sanari potest: accedente autem corruptione, & vlcere perpetuò distillante, corpus paulatim marcescit, decoloratur, & tandem necatur: ex Gal. 5. de locis, siquidem per abscessus & vlcera hepatis omnes seruari vult Hippoc. quibus iecoris ipsius illæsa substãtia, pus intra tunicam tãtùm contineatur. Interire autem quibus in carnem vsque corruptio penetrat, ita vulnerata quo modo libet iecoris substantia, affectus meritò lethalis censetur: præsertim cum inde viscus inflammari, & abscessu facto vlcerari, necesse sit. Huius generis sunt lienis vlcera & renum, vtriusque enim partis sunt vt plurimũ lethalia. Lienis quidem, quia munus habet toti corpori apprimè vtile, & necessarium. Est namque veluti alterum hepar. Renum verò, quia præter vsum quem habent vitæ conseruandæ necessarium, multa vasa continent, perpetuúmque excrementorum illapsum sustinent. Renes, inquit Celsus cap. 10. libr. 4. vbi affecti sunt partim propter multitudinem humoris excepti, partim propter continuos excrementorum effluxus, partim quia sint in profundo siti remedia minùs excipiunt, summa cum difficultate curantur.

De prog. vulnerum diaphragmatis.

CAP. XV.

SPectata ſepti tranſuerſi natura, & compoſitione, facilè eſt de eiuſdem vulneribus præſagium colligere. Vt ea ſcilicet ſint magis mortifera æſtimanda, quæ ad centrum & meditullium diaphragmatis propinè accedunt, quæ remotiùs minus. Illa enim inſanabilia prorſus eſſe,& natura & actio partis demõſtrat. Eſt enim ſubſtantia neruea,quæ coaleſcere non poteſt,& perpetuo motu agitatur, qui motus eſt altera cauſa impediens cõglutinationem. Quam ſubſtantiam nerueam, quamuis circulus carneus huius partis non habeat, in ea tamen vulnus nihilominùs,difficillimæ eſt curationis : tum propter inflammationem, quæ ſtatim oboritur: tum quia ſanies ex vulnere,non facilè exit.Non enim foras ſe profert orificium, facitque ſaniei illa retentio diuerſa ſymptomata, pro vt in varias partes ſolet reponi. Si enim intra vulneris labra retineantur, coalitus impedit. Si in pulmones feratur,aſthma, peripneumoniam parit. Si in peritonæi partes diffluat, dolores & alia nocumenta facit in omnibus partibus,ad quas ſanies eſt peruentura. Et tandem inflammatio, quæ facilè huic vulneri ſuperuenit, non ſolùm reſpi-

respirandi munus deprauat, sed etiam cor, iecur, & ventriculi os, propter viciniam, cerebrum verò, propter insignium neruorum communionem & continuam halituum euaporationem, in consortium mali promptissimè adducit. Distinguit Hipp. hæc vulnera in profunda & superficiaria, plus, minus, quorum hæc curari aliquando posse, illa omninò lethalia dicit.

De prog. vulnerum cordis.

Cap. XVI.

VVlnera cæterorum viscerum omniũ, cum additione lethalia esse dicebantur. Cordis verò absolutè & necessariò talia dicuntur. Nunquam enim quisquam visus est euasisse, corde sauciato. Nam vulnus quod profundum est, repentè necat, exiguum non multo post. Idque & necessariò & semper, venis & arteriis languescentibus, pallente vultu, & sudore frigido, ac fœtido, nec non extremis frigidis. Nec obstat quod nonnulli affirmant, se callos & vlcera inuenisse in corde. Nam quæ spontè naturæ generantur: naturam aliquando posse tolerare certum est. Quæ verò subitò infliguntur, minus. Ad illud autem quod refert Gal. 2. de placitis. De animalibus in sacrificiis, quæ extracto corde respirabant, clamabant, & currebant, donec

nec totus ſanguis effluxiſſet. Dicit interpres, non eſſe idem iudicium ferendum de corde humano,ac de brutorum animalium.Eſt enim caro cordis humani multo mollior, ſanguis copioſior & calidior,ac vaſa craſſiora. Teſte Ariſt. lib. 1. cap. 17. de hiſtoria animaliũ.Huius autem viſceris vulnus non poſſe aglutinari, facit non ſolùm continuus ipſius motus: ſed etiam eiuſdem carnis durities, ſanguinis profluuium, ſpirituum ſubita reſolutio, meatuum & ventriculorum cordis à ſanguinis collectione, obſtructio, atque neceſſariò ſuperueniens inflammatio.

De progn. vulneris veſicæ.

Cap. XVII.

DE veſicæ vulnere hac diſtinctione eſt præſagiendum. Aliud nimirum eſſe, veſicæ vulnus non coaleſcere, vt voluit Hipp. aliud hominem mori veſica vulnerata, vt habetur aph. 18. lib. 7. Nam quamuis veſica neque coaleſcat, neque ferruminetur. Diù tamen homo ſuperſtes eſſe poteſt, & vitæ munia obire, vulnere exiguo in veſica accepto: & maximè in collo ipſius, quod valdè carnoſum eſt, vt videre eſt, in his quibus manu chirurgica, calculus extrahitur. Attamen veſica in alueo & neruoſa parte,

parte, eaque media, aut circa fundum grauiter vulnerata, doloris acerbitate, & superuenientis inflammationis vi, interficit. Tunc enim hæc tria concurrunt, febris continua perseuerans, nulla mali per vrinas alleuatio, & continuata in perinæo durities, vt est in aph. 2. 3. & 4. tertij prognosticon.

De progn. vulneris epiploi.

Cap. XVIII.

DVo omenti vsus insignes pereunt eo ipso vulnerato, fomentatio nempè ventriculi basis, à qua incipit omentum, & intestinorum, quibus tanquam tegumentum obtenditur. Atque venarum quæ in lienem à ramis portæ in ventriculum, duodenum, & colum deducuntur, sustentaculum. Excidit namque ex suo loco aliquando in scrotum, aliquando foras procidit per plagã abdominis diuiso peritonæo. Quod cum accidit, statim reponi debet, priùs quàm putrescat, & liuescat, aut cùm liuescit excidendum, per aph. 58. lib. 6. Galeno interprete. Caussa autem tam expeditæ corruptionis est, partis humiditas, & caloris natiui extinctio, à frigore ambiente. Est enim omnibus partibus interioribus, non solùm mollibus, sed etiam duris commune, vt aëris occursu alienentur. Eoque celerius,

riùs, quo ſunt humidiores, vt eſt hæc pars, & inteſtina. Quæ ſi diutiùs in ambientem exponantur, liueſcunt, nigricant, ſenſu priuantur. Quod malum teſte Celſo eſt immedicabile.

De progn. vulnerum inteſtinorum & ventriculi.

Cap. XIX.

Vlnera inteſtinorum, nec neceſſariò, nec in omnibus, nec omnia eſſe lethalia, experientia conſtat. Ex tenuibus ſiquidem vulnus penetrans in ieiuno, inſanabile eſt; teſte Gal. cap. 4. lib. 6. metho. multis rationibus. Vaſorum nempè magnitudine & multitudine, tunicæ tenuitate, & neruoſa natura, iecoris vicinia, atque bilis ſynceræ exceptione. Additur curationis difficultas. In hac parte tamẽ viſum eſt aliquando vulnus ſuperficiale curatũ. Reliquorũ inteſtinorum craſſorum vulneratio leuior, facilè aglutinatur: quia plurimũ carnoſæ ſubſtantiæ habent, nec ad mortem perducit niſi phlegmone & ileus ſuperuenerint. Vulnera autem magna & per tranſuerſum facta, ob eãdem cauſam lethalia iudicantur per aph. *Moriuntur quibus inteſtina vulnerantur, ſiue ea tenuia ſint ſiue craſſa: ſiquidem tranſuerſa magnáque plaga ſit. Superſunt autem nonnulli cum paruum vulnus ídque rectum fuerit.* Labra enim talium vulnerum non ſolum per ſe mul-

multùm diſſident, ſed etiam vitioſarum humiditatum tranſitu diſiunguntur, nec medicamenta conuenienter admittunt. Non diſſimile iudicium eſt de vulneribus ventriculi. Nam quæ tantum eius exteriorem tunicam lædunt, facilè ſaneſcunt, quæ verò ad ſummum vſque interiorem penetrant, difficilè curantur. Quæ etiam circa fundum, quia carnoſum, minùs habent periculi. At in ore eius neruoſo, inſigne vulnus deſperatum eſt: propter partis præſtantiam, eius ſympathiam cum corde & cerebro, naturam exanguem, & medicamentorum difficilem applicationem.

De progn. gangrenæ & ſphaceli.

Cap. XX.

QVandoquidem gangrena interdum magnis & malignis inflammationibus, quæ plerumque ſequuntur ad vulnera ſclopetorum, & aliorum inſtrumentorum, ſolet ſuccedere. De ea erat hoc loco agendum ſicut de ſphacelo, quorum vna eſt & eadem cauſa, ſolùm maioris minoriſque ratione differens. Sicut enim gangrena eſt incipiens partis corruptela: ſic eadem corruptela cum completa eſt, ſphacelus propriè appellatur. Hæc tamen duo germana ſignificatione dicuntur de duabus partibus, vt

propriè

propriè gangrena ſit hoc in carne,quod ſphacelus in oſſe. Quamuis apud Gal. comment. in aph. 50. lib. 7. Sphacelus etiam carnoſarum partium mors dicatur, vt de ſyderatione videre eſt eodem aphoriſmo. Eſt igitur ſphacelus , ſiue ſyderatio membri mortificatio,quæ eſt gangranæ non curatæ terminus. Cauſæ omnes huius affectus ad duo genera reducuntur. Quorum vnum eſt facultatis ſpiritus vitalis interceptio. Alterum eſt inſiti caloris interitus. Prohibetur facultatis influxus ad partem viarum obſtructione,quæ fit multis modis, vel materiæ copia, vel conſtrictione,ob tumorem,ob vinculum,ob luxationem , ob fracturam , vel ob vaſorum ſectionem.Interit verò & perit natiuus calor partis , quatuor modis. Primò calore alieno diſcipante vt in inflammatione, combuſtione ,acribus & cauſticis pharmacis. Secundò frigore extinguente, ob eius occurſum & narcoticorum vſum. Tertiò tranſpirationis defectu , ob cutis denſitatem,copiam humorum , meatuum conſtipationem,&c. vnde calor ſuffocatur. Quartò veneno & malignis defluxionibus , puſtulis, vlceribus. Hinc euaneſcit floridus partis color, tenditque ad liuorem , ſenſus hebeſcit , membrum ipſum frigeſcit , flacceſcit,nec poſt tactum recurrit. Et quoad prognoſim , gangrena cum incipit , ſuperſtite adhuc aliquo partis vigore, curationem admittit, maximè in iuuenibus,au-

thore

thore celſo cap. 26. lib. 5. Quæ curatio in communibus & topicis poſita eſt remediis. At vbi pars in ſphacelum peruenit. (Quod dignoſcitur, cum pars vita priuata, non tantum fœtet & nigreſcit, ſed etiam ſenſu prorſus deſtituitur.) Niſi quamprimùm pars ad viuum excidatur, cerpit malum in vicinas partes, & hominem iugulat, teſte Paulo cap. 19. lib. 4.

De progn. fracturarum omnium, & oſsis capitis.

Cap. XXI.

TRiplex vitium oſſibus contingere ſolet, in quibus ars prædicendi etiam poteſt exerceri, fractura nempe, luxatio & caries. In fracturis quidem prognoſis optimè inſtituitur, cognitis earundem differentiis, ſimplicitate, & compoſione, earumque natura. Comparatur autem fracti oſſis dignotio & fracturæ differentia, vel ratione, vt cùm vis cauſæ agentis, & læſa membri actio expenditur, vel ſenſu, cùm fragmenta videtur recedere cum puctione & dolore. Cùm inæqualitas & aſperitas percipiuntur, ſtrepitus ex colliſione oſſium exauditur. Verum ſi os tantum ſit fiſſum, nihil pũgit, nihilque reſinum apparet, fractum tamen eſſe coniicitur, ex contactu dolorifico, tumore, calore, & læſa membri actione. Cognita fractura eius periculum colli-

gitur, ex morbi magnitudine, partis natura, ægri conditione, & symptomatibus. Nam fractura omnis eo periculosior est, quo in plura fragmenta ossa confringuntur, præsertim si foras emineant, multóque magis si intro flectantur, ex lib. de fracturis apud Hippo. quo articulis proprior est, ob dolorem, fluxionem, & curandi difficultatem, ex Celso lib. 8. quo plura vel maiora ossa franguntur, ex lib. de fracturis. Quo sunt ficciora, vt in biliosis & in senibus ex Gal. 6. methodi: & denique si cum vulnere, contusione, vel inflammatione coniungantur, ex Celso. Quòd nunquam os fractum instaurari possit, nisi prius affectus illi tollantur. Quòd attinet ad species fracturæ ossis capitis, cùm omnes sint cognitu difficiles, præter incisionem quæ seruat teli vestigium, nisi suturis occultetur, Chirurgici sagacitatem & diligentiam requirunt, vt quamprimùm reuellantur. Multum enim habet earundem dignotio momenti ad præsagium, & curationem, ita vt Hippo. præcipiat, medicum pati non debere, vt res tertium diem excedat, priùs quàm seccet, sed intra id spacium secandum, præsertim vbi tempus calidum fuerit, & à principio ægrum inuiserit. Æstiuo enim tempore, caro magis putrescit, & os gangrena periclitatur, ob saniem defluentem. Ob ídque post triduum inflammatio infestare hominem consueuit, quo tempore os tractari non

non poteſt. Accidit aliquãdo vt Chirurgus deceptus, ea continui oſſis capitis ſolutione, in qua os, neque finditur, nec deprimitur, ſed in ſuo ſtatu manere videtur, & in ſua ſubſtantia tantum continui ſolutionem occultam patitur, terebrationem prætermittat ante ſeptimum, maximè verò die tertiò, quem Hipp. eligit. Tũc enim progreſſu temporis, ſanie interiora putrefaciente, grauiſſima ſymptomata infligit, ac tandem mortem. Tametſi per initia nihil periculi ſubeſſe videatur. Primùm enim inflammatur vlcus, & caro ab oſſe ſeparatur. Deinde ichor & ſanies ex ſanguinis extra venas effuſi, vel oſſis fracti putredine, in membranam cerebri ſtillat. Ex cuius putredine, in parte principe, ſemper febris excitatur, calore extraneo per arterias communicato. Cui denique ſuperueniunt deliria, ſopor, conuulſio, vel paralyſis. Contingit etiam aliquando, vt naturæ beneficio, & quia fiſſura non ita profunda eſt, & colliſio tam vehemens, vt pus in cutem vergat, ſeparetq́ue hanc ab oſſe, quæ mollitie & fluctuatione, ſi digito præmatur, ſe prodit, bonis ægri rebus.

*

De progn. luxationum.

Cap. XXII.

PRolapſus oſſis è propria ſede in alienam & inſolitam, motum lædens, luxatio dicitur. Cuius duplex eſt differentia apud Hipp. completa nempe, cùm os prorſùs è ſinu excidit. Et imperfecta, cùm aliquatenùs peruertitur & diſtorquetur. In quamcunque igitur partem, & quocunque modo fiat peruerſio eiuſmodi, non ſolùm lædit actionem, magis vel minus: ſed etiã figuram membri naturalem mutat, & dolorem adfert. Quibus adduntur duo ſigna epigenomena, tumor, & inflammatio, quæ membri repoſitionem impediunt. Prognoſtica autem ſigna ſumuntur ex luxationis magnitudine, tempore, cauſis, articulorum figura, corporis conſtitutione, & coniunctis affectibus. Tanto enim luxatio mitior eſt, & curatu facilior, quanto oſſa minus aut faciliùs exciderunt, ex lib. 4. de articulis, vel pars minoris eſt momenti, vel corpus macrius, ex particula 46. lib. 1. de articulis. Aut mollius, vt in pueris & adoleſcentibus, ex Celſo cap. 21. lib. 8. Preſertim ſi recens fuerit & ſolitaria. Contra deterior eſt quæ maior, ob grauium ſymptomatum ſucceſſionem, & partis atrophiam, quæ vaſorum diſtorſionem ſequitur, ex parti-


particula 80. lib. 3. de articulis, quæ partibus nobilibus vicinior, ex Paulo cap. 121. lib. 6. in ceruice, ob priuationem respirationis ex Celso. Quæ fit à causis internis, vt neruorum laxitate, ob facilem relapsum, aut vinculorum disruptione, quæ est incurabilis. Quæ pendet à depressione sinus, aut superciliorum attritu, ob frequentem mali recursum: ex Auicenna, in obesis & corpulentis, ob difficilem repositionem, ex par. 26. lib. 1. de articulis. Quia, vt ait Gal. multitudine carnis, vndique constringuntur articuli. Quæ natiua est vel inueterata, ob calli interuentum, ex sententia 21. eiusdem. Quæ denique luxatio vulnus, tumorem, vel inflammationem coniunctam habet: quia prohibet quo minus membrum tuto & facilè reponatur, ex Hipp. 4. de articulis. Et hæc de luxationibus in genere. In specie autem duæ sunt potissimùm à quibus grauia symptomata adueniunt. Vna est maxillæ luxatio, quam periculum mortis afferre asserit Hipp. de articulis. Ea enim præter naturam musculi temporales intenduntur, ac propterea dolent, & idcircò inflammatione præmuntur. Quia simili vitio cerebrum afficiant, quo affecto febres acutæ sequuntur, læduntur omnes animi actiones, sensus nempe, motus, ratiocinatio & memoria. Altera luxatio est illa triplex, quæ spinæ dorsali contingit, tres species gibbositatis constituens.

Inde enim omnes partes ſpinæ adiacentes affi-
ciuntur, crura & manus reſoluuntur, &
tum corpus ſtupore tenetur, fæces &
vrinæ ſupprimuntur, &c. De qui-
bus videndus eſt Hipp. lib.
de articulis, & Gal.
in commen-
tario.

*

Finis libri ſexti, ad gloriam & laudem Dei Opt. Max.





INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HOC OPERE CONtinentur, ordine Alphabetico.

A

B

C

Con-

D

Deiectio

E

nes

loca

Febris

G

H

I

In

L

Luxatio

M

N

O

Ocu

P

Par

Pueri

R

Respi

signi


Tinni

V

Vrinæ

Vrinæ

FINIS.



Laus ſit Deo Opt. maximo.



Extrait du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il est permis à Claude Morillon, Libraire & Imprimeur à Lyon, imprimer, ou faire imprimer, vendre & distribuer vn liure intitulé: *Opus Medicæ Prognoseos, &c. Composé par Anthoine Constantin, Docteur en Medecine.* Et ce pour le temps & terme de six ans entiers & consecutifs, à cõpter du iour & datte que ledict liure sera paracheué d'imprimer; Auec defences à tous Libraires & Imprimeurs du Royaume de France, & autres sujects du Roy, de quelque nation qu'ils puissent estre, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, debiter, tenir & achepter, ny eschanger ou traffiquer dedans & dehors ledict Royaume, aucuns dudict liure, que de celuy dudict Morillon, sans son sçeu & consentement, aux peines portees par les lettres patentes de sa Majesté, données à Paris au mois de Mars, l'an de grace mille six cens & treze, Et de son regne le quatriesme.

Par le Roy en son Conseil,

LE LIEVRE.

Et seellées du grand seel en cire iaune.

Acheué d'imprimer le 12. de Mars, 1613.